
QUAESTIONES SOPHOCLEAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
DIE XV. M. DECEMBRIS A. MDCCCLXIV.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET

AUCTOR
CAROLUS STUERENBURG
THURINGENSIS.



ADVERSARII ERUNT:

A. EBERHARD, DR. PHIL.
G. DIESTERWEG, STUD. PHIL.
TH. ZINNER, STUD. PHIL.

BEROLINI
TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS SCHADE.

I.

Cum a primo fere illo tempore, per quod litterarum caussa in academiis versatus sum, Sophoclis tragoedias duplici illo modo, quem G. Hermannus in praefatione doctrinae metricae epitomes eis, qui veterum cum scriptorum tum poetarum opera recte intellegere velint, quo erat de talibus rebus iudicio, commendat, tractarem, ita ut et „obscura illa cum diligentia, quae singulas syllabas atque apices rimatur“ et oblectationis caussa iterum atque iterum legerem, atque cum si quando coactus essem, ut alios scriptores accuratius cognoscerem, haec studia intermittere, post brevem intercapedinem ad ea reverterer, fieri non potuit, quin offenderer locis, qui a Vv. Dd. integri haberentur, aliisque locis, quos corruptos esse omnes sani iudici Vv. Dd. consentirent, quid scripsisset Sophocles, nondum indagatum esse arbitrarer atque in utriusque generis exemplis genuina poetae verba restituere ipse conarer. Qua in fabularum tractatione quamvis quid in Laurentiano scriptum esset, quae esset apographis cum illo cognatio, quid ad vitia codicis emendanda et scholiorum lemmata atque interpretationes et grammaticorum aliorumque locos Sophocleos afferentium scripta conferrent, de his

omnibus Elmslei, Dindorfi, aliorum disputationibus nos certiores factos esse grato animo sentirem, tamen generum vitiorum, quibus laboraret Laurentianus, collectionem ac de eis disputationem eiusmodi, qualis est, ut principem nominem, Madvigi de codicibus Livianis eorumque archetypo, ex qua Laurentiani natura etiam accuratius cognosceretur, saepius desideravi. Cui disputationi instituendae cum me non parem esse ipse non ignorem, tamen ut ad talem disputationem conficiendam aliquid conferam, ex variis vitiorum generibus mihi propositum est in hac commentatione pauca quam certissimis exemplis demonstrare atque ita rem instituere, ut unius cuiusque corruptelae generis nonnulla exempla iam ab aliis notata atque probabiliter emendata proferam et unum alterumve novum addam. In eligendis autem exemplis id potissimum spectavi, ut de Sophoclis dictione disputandi haberem materiam cum ob alias caussas tum ut crimen illud, cui qui his temporibus Sophoclis fabulis emendandis operam dat, admodum obnoxius est, quo contendi solet, prolata nimis leviter esse considerata eisque Sophoclis tragoedias non emendari, sed etiam magis corrumpi, a me defenderem. Neque dubitavi, cum rectius progrediendo ad veritatem propius accessisse mihi videbar, de locis disserere a Vv. Dd. admodum vexatis.

Duo autem, priusquam ad singula exempla transeam, mihi monenda esse puto. Ac primum quidem si inter eas, quas propono, emendationes una vel altera est, quam ab aliis occupatam esse postea vidi, a me iterum commendata est, si aut in oblivione iaciebat aut

melius quam ab eis, qui ante me in eandem coniecturam inciderunt, factum erat, a me defendi posse videbatur, ita ut, ne res actas agerem, mihi vix verendum esset. Altero loco cum in demonstrandis versibus spuriis id respicerem, num responsio, quam dicunt, illis locis esset statuenda, mihi breviter significandum erat, quid de hac quaestione valde lubrica necdum ad liquidum perducta iudicarem. Atque quanquam non is sum, qui, ut responsiones conquiram, Sophoclis tragoedias perlegam atque responsioni soli quicquam tribuam, praesertim cum idoneam caussam, cur poetae talibus vinculis sese constrinxerint, assequi nequeam, tamen nondum mihi persuadere potui, responsiones illas, ut opinor, manifestas, quas aut alii monstrarunt aut ipse inveni, a poetis non consilio esse institutas. Quidquid autem de hac re statuendum est, quanquam nullum versum eo consilio, ut responsio fieret, damnavi, tamen meum erat significare unoquoque loco, quae existeret ibi symmetria et eis, qui totam hanc quaestionem pertracturi sunt, materiam disserendi praebere.

Sed ut accedam ad id, quod mihi propositum est, multa in Sophoclis fabulis vitia ita orta sunt, ut scriptor Laurentiani vel eius codicis, ex quo ille descriptus est, aut ultimam vocabuli litteram vel ultimas sequenti vocabulo aut sequentis vocabuli litteram primam vel primas antecedenti vocabulo adderet vel ita ut aut unum vocabulum falso in duo dirimeret aut duo in unum conglutinaret, atque aut hae litterae male distributae aut correctiones post illam pravam distributionem factae nobis sunt traditae. Quod ut paucis exemplis illustrem,

ultima vocabuli littera errore sequenti vocabulo addita exhibetur vitiose in Ai. vs. 579[1]) a Laurentiano *δῶμ' ἀπάκτον* pro *δῶμα πάκτον*, quod Brunckius ex Eustathio recepit, in OCol. vs. 443 *ἀλλέπου σμικροῦ* pro *ἀλλ' ἔπους σμικροῦ*, contrario autem errore ita ut prima sequentis vocabuli littera antecedenti vocabulo addita sit, legitur in El. vs. 354 *δέ μοι* pro *δ' ἐμοί*, quod Brunckius restituit, *οὔτ' ἂν* in OCol. vs. 1351 pro Bruncki *οὔ τἄν*. Falsae deinde duarum vocum in unam contractionis extat exemplum in OC. vs. 1512, ubi pro Laurentiani *σημάτων* Dindorfius rectissime *σῆμα τῶν* scripsit. Litteris vero male distributis vera scriptura correctionibus etiam magis obscurari solebat, ut corruptum est in OC. vs. 309 *ἐσθ' ὅς*, quod restituendum esse vidit Nauckius, primo in *ἐσθός*, deinde in *ἐσθλός*, in OC. vs. 775 *τίς αὕτη* (ex apographis sumptum) in *τιςαύτη*, *τοσαύτη*, in OC. vs. 1435 *εὖ διδοίη* (restituit Burgesius) in *εὐδιδοίη*, *εὐοδοίη*, in OC. v. 1702 *γὰρ ὢν* (rest. G. Hermannus) in *γάρων*, *γέρων*, in OC. vs. 1741 *ὅπερ νοεῖς* (rest. Graserus) in *ὁπερνοεῖς*, *ὑπερνοεῖς*. Similiter in El. vs. 686 *τἀφέσει* (rest. Musgravius) primum diremptum est falso in *τα φέσει*, deinde corruptum in *τῇ φύσει*, in El. vs. 1092 *ὑπόχειρ* (rest. Musgravius) in *ὑπὸ χειρ*, *ὑπὸ χεῖρα*. Porro in El. vs. 952 *θάλλοντ' ἔτ'* (rest. Schaeferus) abiit in *θάλλοντε τ'*, *θάλλοντα τ'*, in OC. vs. 300 *αὐτὸν ὥστ'* (rest. Porsonus) in *αὐτόνως τ'*, *ἀπόνως τ'*, atque multis aliis locis, quos enumerare longum est, tales depravationes Laurentiani a Vv. Dd. demonstratae et ingeniose sublatae sunt.

[1]) Numeri sunt Dindorfi poetarum scaenicorum anni 1830.

Novum vero eiusmodi corruptelae exemplum manifestum in El. vss. 335 qs. demonstrare illique numero addere mihi propositum est. Ibi enim Chrysothemis a Clytaemnestra matre missa, ut ad Agamemnonis tumulum inferias faciat, sororem Electram, quod non desistit ante aedes lamentari increpat atque ut desistat his verbis cohortatur:

335 *νῦν δ᾽ ἐν κακοῖς μοι πλεῖν ὑφειμένῃ δοκεῖ,*
καὶ μὴ δοκεῖν μὲν δρᾶν τι, πημαίνειν δὲ μή.
τοιαῦτα δ᾽ ἀλλὰ καὶ σὲ βούλομαι ποιεῖν.

In his quidem versibus ultimum sanum esse interpretes frustra conati sunt probare. Nam quod protulit Schneidewinus ad h. l., qui v. *ἀλλά,* quod nominat hortativum atque interpretatur per nostrum wohlan, accurate cum imperativo (*ἀλλὰ καὶ σὺ ποίει*) coniungi debere, h. l. autem pro imperativo aliquid, quod eodem redeat atque imperativus (*σὲ βούλομαι ποιεῖν*) positum esse censet, ne sibi quidem ipse persuasit vir doctus ille, qui quidem et ipse loco, quem tractamus, succurrit coniectura, de qua postea dicetur. Ac ne verum quidem est ex ulla parte, quod ille contendit. Neque enim si haberet v. *ἀλλά* illam vim hortativam, quam Schneidewinus ei tribuit, in locum imperativi, cum quo illud *ἀλλά* coniungendum erat, tale aliquid ut *βούλομαι σὲ ποιεῖν,* quae nulla adhortandi forma est, substituere liceret nec habet omnino v. *ἀλλά* illam vim hortativam. Nam quamvis v. *ἀλλά* saepe cum imperativo coniunctum sit, tamen adhortatio, quae eis locis fit, non in v. *ἀλλά,* sed in ipsis imperativis inest, voc. autem *ἀλλά* notionem adversativam in omnibus illis exemplis servatam esse unus quis-

que facile intellegit. Atque contulit Schneidewinus ad suam sententiam firmandam Soph. El. vss. 411. 415. 1013. Tr. 320. OC. 1276. Sed eis omnibus locis, quibus alii addi possunt, ut OC. 241. 1405. Phil. 950 (*ἀλλὰ νῦν*) et OC. 237. OR. 1503 (quibus locis v. *ἀλλά* [„saltem"] ad totum quod sequitur enuntiatum, cuius summa est *τοῦτο μοι χαρίζοιο,* referendum videtur esse) et quos iam Ellendtius s. v. *ἀλλά* collexit, Phil. 1041. OR. 1273 (*ἀλλὰ — τὸ λοιπόν*). Tr. 201. 801. Ant. 552. 779[2]), v. *ἀλλά* nequaquam ad imperativos, qui in eisdem enuntiatis reperiuntur, referendum est, nec Schneidewinus in adnotationibus ad illos locos scriptis ipse rettulit, sed interpretatus est in El. vs. 411 *ὦ θεοὶ πατρῷοι, συγγένεσθέ γ' ἀλλὰ νῦν* et in El. vs. 415 *λέγ' ἀλλὰ τοῦτο* et in reliquis exemplis ab ipso adlatis v. *ἀλλά* per „saltem" (wenigstens), nec contra hanc interpretationem aliquid moneri potest, quanquam animadvertendum est, vocabuli *ἀλλά* vim adversativam in his locutionibus servatam esse. Omnibus enim illis locis, quos supra adlegavi, ante v.

---

[2]) His exemplis iniuria Ellendtius inseruit haec:
Soph. fr. 24 *ὥσπερ γὰρ ἐν φύλλοισιν αἰγείρου μακρᾶς*
κἂν ἄλλο μηδέν, ἀλλὰ τ' οὐκείνης κάρα
κινήσῃς αὔραις ἀνακουφίζει πτερόν
(*κινεῖ τις αὔρα κ' ἀνακουφίζει πτέρον* Dindorfius in edit. Oxon. a. 1860), ubi voce *ἀλλά* illi *ἄλλο μηδέν* opponitur *τ' οὐκείνης κάρα.*
Soph. fr. 677 *εἰ σῶμα δοῦλον, ἀλλ' ὁ νοῦς ἐλεύθερος,*
ubi utrum per „sed" an per „saltem" v. *ἀλλά* nobis reddendum sit, diiudicare non iam licet. Seiunxit vero rectissime idem V. D. ea exempla, quae etsi hortandi vel precandi sententiam contineant, v. *ἀλλά* sua tamen adversativa significatione praefixum habeant.

ἀλλά cum G. Hermanno ad Vig. p. 811 *εἰ μή* vel aliquid simile cogitando supplendum est, ut in illo Electrae loco *συγγένεσθε γ᾽ ἀλλὰ νῦν* (succurrite si non alio tempore, at nunc) aut in illo *λέγ᾽ ἀλλὰ τοῦτο* (dicas si non aliud, at hoc), quod sane in nostro sermone per wenigstens, doch aptissime significamus.

Alio modo Ellendtius in lex. Soph. s. v. *ἀλλά* Chrysothemidos verba *τοιαῦτα δ᾽ ἀλλὰ καὶ σὲ βούλομαι ποιεῖν* interpretatur, qui quidem V. D. contendit, significare v. *ἀλλά* h. l. „igitur" et eo sensu perraro postponi. Sed ut hoc primum dicam, in eo, quod de conlocatione v. *ἀλλά* affirmavit Ellendtius erravit. Nam v. *ἀλλά* adversativum a poetis antiquis nondum post initium enuntiati poni, sed a recentioribus demum nonnunquam, M. Hauptius in observ. crit. p. 62 breviter monuit. Nec magis verum est, quod Ellendtius de significatione v. *ἀλλά* professus est. Sunt enim exempla, in quibus illam concludendi vim v. *ἀλλά* agnoscit, haec:

Tr. 351 *τούτου λέγοντος τἀνδρὸς εἰςήκουσ᾽ ἐγώ*
πολλῶν παρόντων μαρτύρων, ὡς τῆς κόρης
ταύτης ἕκατι κεῖνος Εὔρυτον θ᾽ ἕλοι
τήν θ᾽ ὑψίπυργον Οἰχαλίαν, Ἔρως δέ νιν
μόνος θεῶν θέλξειεν αἰχμάσαι τάδε,
οὐ τἀπὶ Λυδοῖς οὐδ᾽ ἐπ᾽ Ὀμφάλῃ πόνων
λατρεύματ᾽ οὐδ᾽ ὁ ῥιπτὸς Ἰφίτου μόρος,
ὃν νῦν παρώσας οὗτος ἔμπαλιν λέγει.
ἀλλ᾽ ἡνίκ᾽ οὐκ ἔπειθε τὸν φυτοσπόρον
τὴν παῖδα δοῦναι, κρύφιον ὡς ἔχοι λέχος
ἔγκλημα μικρὸν αἰτίαν θ᾽ ἑτοιμάσας
ἐπιστρατεύει πατρίδα qs.

Sed h. l. v. *ἀλλά* ad sententiam spectat, quam nuntius, cuius sunt illa verba, reticuit, quod in v. *ἀλλά* saepius fieri Ellendtius ipse observavit. Sunt autem h. l. intellegenda ante v. *ἀλλά* fere haec: non his, quas Lichas praetexuit, caussis commotus, *ἀλλ' ἡνίκ'* qs., est ergo v. *ἀλλά* h. l. particula adversativa, pro qua si nos vertendo adhibemus nostrum vielmehr, qui sit sententiarum nexus, non male assequimur.

Similiter in Ai. vs. 344 *ἀνὴρ φρονεῖν ἔοικεν, ἀλλ' ἀνοίγετε* adversativa particulae *ἀλλά* significatio apparet, si illud enuntiatum paullo longius sic circumscribimus: „Vir ille resipiscere videtur, sed ut accurate sciam, sitne haec opinio mea vera, aperite tentorium." Reliquis denique locis, quibus v. *ἀλλά* „igitur, interea igitur, quod superest" significare Ellendtius contendit, unusquisque facile perspicit propriam particulae *ἀλλά* vim, quae est adversandi, opponendi (sed, attamen, nihilominus) in vss. Ai. 778. 1338. El. 103. 643. 1156. 1331. fr. 517, 1 et in Ai. vs. 1244 aut ut Ellendti ipsius verbis utar, abrumpendi sermonem et ad finem imponendum festinandi in vss. Ai. 654. 684. El. 1307. fr. 106, 1. Cadit ergo Ellendti interpretatio.

Nuper denique Meinekius in analectis Sophocleis (in epimetro ad Oed. Col. a. 1863) ad h. l. verba *τοιαῦτα δ' ἀλλὰ καὶ σὲ βούλομαι ποιεῖν* sana esse iudicavit qui: „verte, inquit, 'talia vero at te quoque facere volo,' quae cum insigni brevitate dicta sunt; plena oratio haec esset *τοιαῦτα δ' οὐκ ἐγὼ μόνον ποιῶ, ἀλλὰ καὶ σὲ βούλομαι ποιεῖν.*" Sed quae Meinekius ad OCol. p. 159 de alio V. D. iudicavit, cum: „oratione, inquit, utitur non

magis latina, quam Sophocles si ista scripsit, ut nunc eduntur, graeca," vereor ne h. l. in ipsum non minus quadrent. Ac praeterea nego, Chrysothemim dicere potuisse „talia non ego tantum ago, sed etiam te agere cupio," cui dicendum erat modo: „talia ego ago, sed te quoque (vel „non modo me, sed etiam te") hoc facere cupio."

Vidimus ergo, tres explicationes, quae prolatae sunt, stare nequire nec potuerit quarta excogitari. Vix enim ad nostrum locum defendendum afferat quisquam exempla eiusmodi ut Eur. Med. 942 (*σὺ δ᾽ ἀλλὰ σὴν κέλευσον αἰτεῖσθαι πατρὸς γυναῖκα παῖδας τήνδε μὴ φεύγειν χθόνα*). Phoen. 1667 (*σὺ δ᾽ ἀλλὰ νεκρῷ λουτρὰ περιβαλεῖν μ᾽ ἔα*). Heracl. 565. Ion. 978. Hec. 391. Rhes. 167 et, quae ex Aristophane affert Heindorfius ad Plat. Soph. § 44, Nub. 1369. Ach. 191. 1033. Pac. 660, quibus addi possunt Nub. 1364. Lys. 904[3]). Nam et particula *καί* intellegi nequiret et hac omissa sententia existeret perversa.

Coniectura igitur versui, de quo agimus, subveniendum est. Qua re perspecta proposuerunt *τοιαῦτα δ᾽ ἄλλα* G. Dindorfius, *τοιαῦτα τἄμ᾽, ἃ* Schneidewinus, *τοιαῦτα δῆτα* Kayserus in n. jahrb. f. phil. 69, p. 508, *τοιαῦτα κἀμὲ* Kolsterus in philol. 5, p. 222, *τοιαῦτα μᾶλλον* Hoffmannus in ztschr. f. oestr. gymn. 5, p. 533, *τοιαῦτα*

[3]) Ne quis exprobret, hanc atque Meineki interpretationem ad idem redire, animadvertendum est, ex Meineki sententia ante *ἀλλὰ καὶ* supplendum esse „non tantum me", quare ni fallor Meinekio *ἀλλὰ καὶ* potius reddendum erat per „sed etiam", ex hac vero interpretatione ante *ἀλλὰ καὶ* intellegi „si non alios".

δ' ἄττα M. Schmidtius in philol. 14, p. 465, τοιαῦτα δ', ἅττα G. Wolffius, qui quidem omnes magis id spectasse videntur, quid ex litteris traditis cum aliqua probabilitate externa elici posset, quam quid simplicissimum sententia postularet. Ac primum quidem Dindorfi τοιαῦτα δ' ἄλλα non quadrat, quia Chrysothemis Electram non admonet, ut alia talia, qualia ipsa, sed ut talia, qualia ipsa, eadem, quae ipsa agat, faciat. Contra Schneidewini autem τοιαῦτα τἄμ', ἃ iam Kayserus l. d. recte monuit, demonstrandum esse, pluralem τἀμά significare: „haec est mea ratio," nec si hoc demonstrari posset, satis simplex locutio esset, quam ille restituit. Kolsteri vero τοιαῦτα κἀμέ nec satis verisimile est, nec quisquam intellegit, cur tandem Chrysothemis istud κἀμέ adiciat. Quae contra μᾶλλον quoque Hoffmanni facere mihi videntur. Quod autem M. Schmidtius laudans Cobeti nov. lect. pp. 153. 276 scribit τοιαῦτα δ' ἄττα, apud Sophoclem defendi nequit nec magis, quod G. Wolffius ex hac Schmidti coniectura confecit, τοιαῦτα δ', ἅσσα. Nam Lycophronis (Cass. vs. 8 τῶν ἅσσα ἔχω) exemplo, quod attulit Wolffius, vix probatum sit, idem apud Sophoclem ferri posse, atque ne hoc premam, nemo, qui quae antea dixit Chrysothemis legit, expectat eam sic perrecturam esse τοιαῦτα δ', ἅσσα καὶ σὲ βούλομαι ποιεῖν. Nullo modo quae summa Chrysothemidos orationis est (καὶ σὲ βούλομαι ποιεῖν) in enuntiatum relativum reici debet.

Omnia igitur, quae adhuc prolata sunt, non satisfaciunt. Quanquam cum quae restant τοιαῦτα δὲ καὶ σὲ βούλομαι ποιεῖν nihil praebeant offensionis, in v. ἀλλά corruptelam latere omnes Vv. Dd. suo iure suspicati sunt

atque complures ex eorum numero illud *δέ* post *τοιαῦτα* corrigendo rectissime amoverunt. Coniunctio enim, quam quis dixerit hac vocula fieri, fit ipso v. *τοιαῦτα.* Plus viginti enim locis nostro simillimis Sophocles semper v. *τοιοῦτος* aut solo aut coniuncto cum particula concludendi et asseverandi, ut *τοί, τοίνυν, μέντοι, οὖν* usus est[4]). Atque si solam rationem spectas, hoc tibi non mirum videbitur. Quodsi v. *τοιοῦτος* ad ea, quae antecedunt, respicit atque ea comprehendit et ita duo enuntiata particulae instar coniungit, primum enuntiati locum aut locum, qui non multum abest ab initio enuntiati, obtinere debere non supervacuum est monere. Sunt autem exempla, in quibus hoc fit, ita comparata, ut v. *τοιοῦτος* et sententia, quam haec particula incipit, ut Ellendti verbis utar, ad sermonem iam absolutum spectent, ad priora iam mente, dictis, factis agitata respiciant, ut quae antea pluribus verbis dicta sunt, breviter comprehendant. Complectitur autem sic v. *τοιοῦτος* sine ulla particula his locis:

In Soph. El. vs. 299 Electra posteaquam crimina,

---

4) A v. *τοιοῦτος* et particula *δὲ* incipit sententia in OR. vss. 673 qs. *στυγνὸς μὲν εἴκων δῆλος εἶ, βαρὺς δ' ὅταν*
θυμοῦ περάσῃς· αἱ δὲ τοιαῦται φύσεις
αὑταῖς δικαίως εἰσὶν ἄλγισται φέρειν.
Sed hunc locum a nostro et eis, quos in sequentibus tractabo, diversissimum esse, si eos inter se comparaveris, facile intelleges. In Creontis enim ex OR. sumptis vss. v. *τοιοῦτος* non fit coniunctio, sed solo v. *δέ* oppositio, qualis nostro loco esset, si pergeret Chrysosthemis *τοιαῦτα δὲ οὐδέν μοι λυσιτελεῖ.* Ceterum cum Creontis verbis conferri potest OR. 1084 (*τοιόσδε δέ*).

quibus a Clytaemnestra propter Orestem servatum cumularetur, enarravit, pergit:

τοιαῦθ᾽ ὑλακτεῖ, σὺν δ᾽ ἐποτρύνει πέλας
ὁ κλεινὸς αὐτῇ ταὐτὰ νυμφίος παρών.

In eiusdem fabulae vs. 424 Chrysothemis Clytaemnestrae somnio relato haec dicit:

τοιαῦτά του παρόντος, ἡνίχ᾽ Ἡλίῳ
δείκνυσι τοὔναρ, ἔκλυον ἐξηγουμένου.

Paedagogus denique in vs. 761 Orestis morte enarrata sic pergit:

τοιαῦτά σοι ταῦτ᾽ ἐστίν, ὡς μὲν ἐν λόγῳ
ἀλγεινά, τοῖς δ᾽ ἰδοῦσιν, οἵπερ εἴδομεν,
μέγιστα πάντων, ὧν ὄπωπ᾽ ἐγώ, κακῶν.

Reliqua exempla, quae prorsus eiusdem generis sunt, ne longus sim, breviter affero, sunt autem in vss. Ant. 31. 231. 1012. 1084. Ai. 164. 504. 1017. 1021. 1156. 1298. OR. 723. 1275. 1500. OC. 62. 1389. 1620. Trach. 169. 807. (943)[5]. Phil. 314. 382. fr. 236, 3. 650. Nonnunquam, ut iam dixi, particulae affirmandi v. *τοιοῦτος* adduntur, ut *τοί* in vss. El. 984. fr. 26, 1, *μέντοι* in vss. OC. 781. 997, aut particulae concludendi, ut *οὖν* in vss. OC. 1539. El. 307. 1001. 1318. Ab exemplis vero, quae modo tractavi, segregandi sunt ei loci, ubi enuntiata, quae a v. *τοιοῦτος* initium habeant, aliis verbis, quibus eventus contineatur, *κατ᾽ ἐπεξήγησιν* addita sint, quae ita comparata sunt, ut eorum, quae antecedunt, afferant caussam. Ex eo numero sunt Ai. vss. 216 qs.

[5]) Delet hunc versum et qui secuntur tres Meinekius in anal. Soph. ad h. l. et verba genuina intercidisse suspicatur.

μανίᾳ γὰρ ἁλοὺς ἡμὶν ὁ κλεινὸς
νύκτερος Αἴας ἀπελωβήθη·
τοιαῦτ᾽ ἂν ἴδοις σκηνῆς ἔνδον
χειροδάϊκτα σφάγι᾽ αἱμοβαφῆ,
κείνου χρηστήρια τἀνδρός,

in quo exemplo Tecmessa Aiacem in insaniam incidisse ex gregibus caesis concludit. Huc quidem referenda sunt duo exempla, in quibus coniunctio duarum sententiarum, quarum priore id quod concluditur, altera id ex quo concluditur, contineatur, vocabulo *τοιοῦτος* et particula *γάρ* fiat, dico vss. Ai. 326. 7

καὶ δῆλός ἐστιν ὥς τι δρασείων κακόν·
τοιαῦτα γάρ πως καὶ λέγει κ᾽ ὠδύρεται[6]).

et Ai. 432. 3

νῦν γὰρ πάρεστι καὶ δὶς αἰάζειν ἐμοὶ
καὶ τρίς· τοιούτοις γὰρ κακοῖς ἐντυγχάνω,

ubi sententiarum ratio, si logicam spectamus, haec est: *τοιαῦτα ὀδύρεται, ὥστε δράσειν κακόν τι δοκεῖ* et *τοιούτοις κακοῖς ἐντυγχάνω, ὥστε πάρεστί μοι αἰάζειν*. Eadem denique *ἐπεξήγησις* est in Trach. vss. 34. 46. 1022. OC. 947.

Quae vero modo de v. *τοιοῦτος* disputavimus, de vocabulis huic similibus, qualia sunt *τοσοῦτος, τοῖος, τοιόςδε, ὅδε, οὗτος*, eodem iure dici possunt nec quae observavi, Sophocli propria sunt, sed in Homero (cf. Schneidew. ad El. vs. 984), in Aeschylo et Euripide et in omni unius cuiusque linguae scriptore non minus valent. Sic v. *τοσοῦτος* a Sophocle sine ulla particula

---

[6]) Hunc versum iniuria, ut videtur, Nauckius damnavit.

in capite enuntiati conlocatum sermoni finito ita apponitur, ut quae antea dicta sint, breviter comprehendantur, in vss. Ai. 780. Tr. 803. 923. OC. 1645. [7]), atque eodem modo adhibita sunt eodem modo conlocata v. *τοιόςδε* in OR. vss. 1384. Tr. 15. 701. Ant. 191. 207. Ai. 148, cum v. *μέντοι* coniunctum in Ant. vs. 913. Ai. vs. 952, cum v. *τοί,* quod pro *τοῖς* scribendum esse G. Hermannus vidit, in vs. Ai. 776, cum v. *οὖν* in vss. El. 38. Tr. 82. OR. 244; voc. *ὅδε* cum v. *οὖν* in vss. Ai. 28. Tr. 1162, cum *μέντοι* in vs. Ai. 1246; v. *οὗτος* exempli gratia in vss. Ai. 1235. Tr. 578. Phil. 348 et in multis exemplis, ubi *πρὸς ταῦτα* et *καὶ ταῦτα* in enuntiati initio legimus, cum *οὖν* coniunctum in vs. Ant. 1023; *τοσόςδε* in vs. Ai. 770; *ὧδε* in vss. El. 50. 573. — *Ἐπεξηγητικῶς* v. *τοῖος* Sophocles usus est sine

---

7) Hoc loco (*τοσαῦτα φωνήσαντος εἰςηκούσαμεν ξύμπαντες*) et ei, qui v. *τοσαῦτα* cum solo v. *εἰςηκούσαμεν* et ei, qui cum v. *φωνήσαντος* solo coniungunt, errare mihi videntur. Nam ad utrumque membrum v. *τοσαῦτα* referendum est. Vocabula ad duo membra referenda a tragicorum interpretibus saepius adhuc falso ad alterutrum referuntur. Huius duplicis relationis praeter ea, quae iam Schneidewinus ad vss. OR. 295. 617. Ant. 504 et Wolffius ad Ai. vs. 250 animadverterunt, haec exempla adnotavi, quem numerum augere non ita difficile fuerit: Phil. 272 (vv. *ἐπ᾽ ἀκτῆς ἐν κατηρεφεῖ πέτρῳ* et ad *εὕδοντ᾽* et ad *λιπόντες* referenda). Phil. 842 (*σὺν ψεύδεσιν* et ad *κομπεῖν ἀτελῆ* et ad *αἰσχρὸν ὄνειδός ἐστιν* refer.). Phil. 1248 (*τὴν ἁμαρτίαν* et ad *ἁμαρτών* et ad *ἀναλαβεῖν* ref.). OR. 403 (*οἷαπερ φρονεῖς* et cum *παθών* et cum *ἔγνως ἄν* coniungenda). OR. 792 (*ὁρᾶν* et ad *ἄτλητον* et ad *δηλώσοιμι* ref.). OR. 1482 (*ὁρᾶν* et ad *ὧδ᾽ — προυξένησαν* et ad *λαμπρά* ref.). Ceterum cf. notam 19.

adiecta particula in vss. Ai. 251. 562. 928. Ant. 124. OR. 1306, v. *τοιόςδε* in vs. Tr. 540.

His omnibus consideratis, ut tandem revertar ad locum Electrae, a quo profectus sum, quanquam *τοιαῦτα δὲ* ferri non posse contendi nequit, tamen procul dubio admodum probabile est, h. quoque l. Sophoclem v. *τοιοῦτος* solum adhibuisse, litteras ergo, ex quibus vera scriptura enucleanda sit, esse *δαλλα* aut si vocabulum, quod restituendum est, a vocali initium habet, *αδαλλα*. Atqui cum, si sententiam spectas, in verbis *τοιαῦτα καὶ σὲ βούλομαι ποιεῖν* omnia insint, quae Chrysothemis dicere vult, latebit in illis litteris *δαλλα* aut *αδαλλα* aliquid, quod ex sententia non prorsus necessarium sit. Quod ut assequamur, animadvertendem est, conloqui Chrysothemim cum sorore (*ἀδελφῇ*) eamque ut tempori serviat precibus movere studere et qui hoc agant, solere comiter adloqui eos ac nominare, a quibus aliquid impetrare velint. Quae si consideraveris, non dubitabis mecum restituere

τοιαῦτ᾽, ἀδελφή, καὶ σὲ βούλομαι ποιεῖν.

Cf. eiusdem fabulae locum simillimum (vs. 461)

ὅμως δ᾽, ἀδελφή, σοί θ᾽ ὑπούργησον τάδε.

Ceterum de conlocatione vv. *ἀδελφή* et *ἀδελφός* apud tragicos poetas observavi, quae opinor digna esse, quae paucis enarrentur[8]). Aeschylus eas voces in iambicis trimetris acatalectis semper ante tertiam arsim conlocavit, v. *ἀδελφή* (ter) in vss. Cho. 17. Prom. 798.

[8]) Ut unus quisque rem ipse explorare possit, omnes locos numeris additis affero, quanquam singulos casus distinguere, cum nihil referat, supervacaneum esse putavi.

Sept. 811, voc. ἀδελφός (octies) in vss. Sept. 555. 1013. 1029. Suppl. 320. Ag. 1193. 1585. Cho. 227. 243, cum quibus conferre licet exempla vocis αὐτάδελφος in vss. Sept. 718. Eum. 89. — Sophocles et ipse ante tertiam arsim trimetri iambici v. ἀδελφή semper (septies) posuit[9]), in vss. El. 461. 956[10]). 1148. OR. 577. Ant. 486. OC. 1290. fr. 663, 4, v. ἀδελφός plerumque (octies), in vss. Ant. 13. 55. 81. (912). El. 987. 1484. Ai. 922. 1294, ante quartam vero arsim (bis) in vss. El. 1212. 1346, quibus conferri potest Ant. v. 1 (αὐτάδελφον), in initio trimetri (bis) in vss. OR. 458. Ant. 46, ante quintam arsim (semel) in Ant. vs. 517, quocum loco conferre

---

[9]) Eandem sedem vocis Ὀρέστης ei casus, qui eisdem numeris atque v. ἀδελφή contineantur, apud Sophoclem, apud quem solum de hac voce inquisivi, semper (vicies bis) occupant. Vocativus autem, qui aliis numeris continetur, quanquam bis eodem loco reperitur, tamen plerumque (quater), ut vocativo, quo adloqueris, par est, primum versus locum obtinet. Singulorum locorum numeros apud Ellendtium inspicias.

[10]) H. l. νῦν δ' ἡνίκ' οὐκέτ' ἔστιν, ἐς σὲ δὴ βλέπω,
ὅπως τὸν αὐτόχειρα πατρῴου φόνου
ξὺν τῇδ' ἀδελφῇ μὴ κατοκνήσεις κτανεῖν

Meinekius in anal. Soph. ad h. l. scribendum proponit ξὺν τῇδ', ἀδελφή, μὴ κατοκνήσεις κτανεῖν, quod demonstrativo cum nomine coniuncto pro ἐγώ Sophocles non uteretur nisi in tralaticia compositione ὅδ' ἀνήρ, τοῦδε τἀνδρός. Attamen, ni fallor, contra hanc mutationem facit conlocatio vocativi ἀδελφή, quae adlocutioni apta non sit. Vocativus enim non in enuntiatum secundarium, praesertim cum hoc primario postponeretur, reiciendus, sed cum verbis νῦν δέ ἐς σὲ δὴ βλέπω coniungendus erat. Neque ego verbis ξὺν τῇδ' ἀδελφῇ (mecum, quae tibi sororia (soror) sim) pariter ac Meinekius offendor.

licet vss. Ant. 503. 696 (αὐτάδελφον). Adiectivum denique ἀδελφός ante tertiam arsim (bis) in vss. Ant. 192. OR. 1481, in initio trimetri (semel) in OC. vs. 1262 conlocatum est. Restitutum est non improbabiliter ante quartam arsim a Blaydesio et Dindorfio in OCol. vs. 321, ubi illi Vv. Dd. pro μόνης τόδ' ἐστὶ δῆλον Ἰσμήνης κάρα proposuerunt μόνης τόδ' ἐστ' ἀδελφὸν Ἰσμήνης κάρα.

Apud Euripidem denique v. ἀδελφή semper (quinquagies bis) ante tertiam arsim reperitur, ut in vss. El. 49. 98. 1083. 1093. 1243. Or. 61. 78. 117. 122. 222. 614. 663. 1046. 1049. 1658. Iph. T. 473. 627. 703. 1363. 1383. 1418. 1440. 1478. 1489. Iph. A. 97. (508.) 624. 1243. Phoen. 757. 761. 1318. 1322. 1349. 1435. 1445. Hel. 142. 821. 1046. 1648. 1658. 1682. 1685. Hec. 40. 44. Bacch. 26. 1143. Heracl. 544. Alc. 733. Hipp. 15. Rhes. 976. fragn. inc. 126, 2. (179, 2)[11]. In Orestis vs. 1044. (τὸν σύν τε πατέρα καὶ σὲ κἀδελφὴν θανεῖν) cum vox ἀδελφή per crasim cum καὶ coalescens molossi habeat numeros, res aliter se habet. Vocem autem ἀδελφός Euripides plerumque (quinquagies ter) posuit ante tertiam arsim, ut in vss. El. 242. 248. 526. 536. 766. 872. Or. 135. 865. 882. 1037. Iph. T. 61. 373. 497. 802. 803. 866. 1059. Iph. A. 97. Phoen. 11. 47. 456. 691. 1375. 1437. 1610. Hel. 94. 888. 892. 1372. Andr. 175. 656. Troad. 360. 372. Hec. 18. 896. Her. f. 539. Heracl. 45. 119. 230. 481. 532. 536. 557. 581. Suppl. 153. 402. 904. Jon. 28. 33. 37. Med. 563. 1272. Cycl. 531,

[11]) Hoc fragmentum, quod ex Sophocle affertur a Stob. in flor. 4, 17 (et in proverb. append. 3, 12), quo iure Matthiae et Dindorfius Euripidi tribuant, assequi non possum.

ante quartam vero arsim (sexies) in vss. Iph. A. 487. Phoen. 754. 1367. Andr. 624. 703. Med. 257, ante quintam arsim (semel) in Iph. T. vs. 1183. — In initio denique trimetri vocativus ἄδελφε (quater) extat in vss. Iph. A. 471. 497. 1241. Or. 1019, scilicet quia adlocutio in initium versus festinat[12]). Ceterum cum hisce exemplis conferre licet Iph. T. vs. 613 (ἀνάδελφος).

In tetrametris trochaicis catalecticis, ut de his quoque aliquid addam, v. ἀδελφή reperitur ter (in vss. Or. 787. Phoen. 616. 1339.) ante quintam arsim, quae quidem versus sedes, cum ante utramque arsim, ante hanc legitima diaeresis, ante illam potissima caesura sit, respondeat illi trimetri iambici acatalecti ante tertiam arsim sedi. — V. ἀδελφός ante tetrametri trochaici catalecti arsim tertiam semel (in vs. Iph. A. 380) legitur.

Haec habui, quae de vv. ἀδελφή et ἀδελφός in tragicis trimetris iambicis acat. et tetrametris trochaicis cat. conlocatione monerem.

II.

Sed ut ad Sophoclem revertar, alia codicis menda ita orta sunt, ut vocum inter se simillimarum, cum una alterave littera tantum differrent, una alterius in locum librariorum errore substitueretur. Sic ut illas vocularum δέ et τέ, δ᾽ et γ᾽, δέ et δή, τέ et γέ leviores permutationes omittam, Laurentianus falso exhibet in vs. Ai.

[12]) Vocativus ἄδελφε eorum exemplorum, quae paullo ante adlata sunt, legitur in vss. Or. 1037. Med. 1272 ante tertiam arsim.

428 *οὔθ'* pro *οὐδ'* (rest. Elmsleius), in Ai. vs. 635 *γάρ* pro *παρ'* (rest. Elmsleius), in Ai. vs. 747 *πέρι* pro *πάρει* (rest. Schneidewinus), in Ai. vs. 1029 *τοῦτ'* pro *τοῦδ'* (a m. rec. restitutum), in vss. Phil. 79 et El. 1251 *καὶ* pro *παῖ* (rest. Erfurdtius et Meinekius), in Phil. vs. 571 *ἔσω* pro *ἐγώ* (ex uno apographo sumptum). In quem vitiorum numerum vocum *νίν* et *νύν* permutationem esse referendam duobus, ut opinor, certissimis exemplis, quibus praeterea id commune est, ut in eis obiectum desideratum restituatur, in sequentibus demonstrare in animo est.

In Oedipo Coloneo Creon, qui cum satellitibus advenit atque Oedipo ut Thebas secum redeat, persuadere studet, posteaquam ei, in quo versarentur et ipse et Antigona infortunio, descripsit, hisce pergit:

ἆρ' ἄθλιον τοὔνειδος, ὦ τάλας ἐγώ,
ὠνείδισ' εἰς σὲ κἀμὲ καὶ τὸ πᾶν γένος;
ἀλλ' — οὐ γὰρ ἔστιν τἀμφανῆ κρύπτειν — σύ νυν
πρὸς θεῶν πατρῴων, Οἰδίπους, πεισθεὶς ἐμοὶ
κρύψον θελήσας ἄστυ καὶ δόμους μολεῖν
τοὺς σοὺς πατρῴους τήνδε τὴν πόλιν φίλως
εἰπών qs.,

ubi ad vv. *σύ νυν — κρύψον* obiecti loco *τὸ ὄνειδος τὸ κοινὸν γένους* interpretes intellegunt. Quod quanquam cum illis consentio desiderari obiectum, tamen, cum unusquisque ad v. *κρύψον* si obiecto caret, non longincum *τὸ ὄνειδος*, sed proximum v. *τἀμφανῆ* obiecti loco intellegat necesse sit, hoc autem ut videbimus, totus locus perversus fiat, illud h. l. suppleri posse nego. Immo cum illud obiectum restituendum esse mihi per-

suasum sit, v. autem *νύν* optime deesse possit atque ut paullo post cognoscemus cum Sophoclis consuetudine loquendi non congruat, non dubito restituere *ἆρ' ἄθλιον τοὔνειδος — ὠνείδισ' —;*

ἀλλ' — οὐ γάρ ἐστι τἀμφανῆ κρύπτειν — σύ νιν
πρὸς θεῶν πατρῴων, Οἰδίπους, πεισθεὶς ἐμοὶ
κρύψον qs.

Quod dum scribo quanquam bene scio iam Meinekium in eandem coniecturam incidisse eamque in anal. Soph. ad h. l. nuper publici iuris fecisse, tamen contra consuetudinem eam non supprimendam, sed a me quoque commendandam esse putavi propterea quod Meinekius potissimam illam caussam, ob quam v. *νύν* in *νίν* mutandum esse intelleximus, quod deest obiectum v. *κρύψον,* ne tetigit quidem neque siquidem recte iudico, illam parenthesim bene interpretatus est. Meinekius enim propterea tantum *νίν* scribendum esse censet, quod in tali orationis conformatione[13]) particulae *οὖν* et huic si-

[13]) Confert Meinekius vss. Phil. 144. 1020. Ol. 624. Tractaverunt vero de his locutionibus praeter Ellendtium Schaeferus in melet. crit. p. 76, Elmsl. ad Eur. Med. vs. 1035, ad Heracl. vs. 481, Herm. ad Vig. p. 811, Matth. ad Eur. Phoen. vs. 371, quem optime locutionis originem explanasse Ellendtius rectissime iudicavit. Illum enim solum non fugit discrimen, quod in exemplis, quae ut nostrum comparata sunt, observandum est: Quae enim in parenthesi dicuntur, sunt aut caussa abrumpendi tantum, non apodosis quae sequitur, ut in vss. OR. 1409 et Trach. 552, in quo exemplo etiam hoc memorabile est, quod Deianira post sententiam interiectam per *δέ* pergit *ἀνακολούθως,* aut caussa eorum, quae in apodosi secuntur, plerumque adhortationis, ut in vss. Phil. 81. 874. Ai. 167. 328. Ol. 797. 985 (in

miles in apodosi omittuntur, ex qua re, quamvis recte sese habeat, tamen necessitas mutandi non patet. — Addit autem praeterea Meinekius haec: „quamdiu dedecora tua in publica luce versantur, occultare ea non licet, quare redi in paternam domum, ut in obscuro delitescant.“ Significantur ergo ex eius sententia voce *νίν* dedecora, quae manifesta sunt (*ὀνείδη ἐμφανῆ*), atque vv. *οὐ γάρ ἐστι τἀμφανῆ κρύπτειν* caussa sunt, ob quam Creon Oedipum cohortatur, ut occultet. Sed hac interpretatione nos, quid senserit Sophocles, assequi persuadere mihi non possum. Nam et quae manifesta sunt, quanquam nondum sunt occultata, tamen ea occultare licet, neque Creon Oedipum ut occultet, quae occultare non liceat ex eius sententia, cohortari potest. Sed si eorum, quae hortatur (*σύ — κρύψον*) caussam addere voluit, dicendum ei erat nil nisi hoc: „quamdiu dedecora tua in publica luce versantur, oculi animique hominum eis laeduntur, quare redeas atque occultes.“ Verissime contra scholiasta de nostro loco iudicavit,

---

quo et ipso exemplo *ἀνακολουθία* agnoscenda est) 1267. El. 256 Ant. 392. 148 (ubi animadvertendum est, metri caussa Sophoclem scripsisse *ἀλλὰ γὰρ ἅ Νίκα* qs. pro *ἀλλ - ἅ γὰρ Νίκα* qs.) et eis locis, quos iam Meinekius adlegavit, OC. 624. Phil. 1020. Huc pertinent etiam ea exempla, in quibus apodosis ad v. *ἀλλά* cogitando supplendum est, ut in vss. El. 595. 619. OC. 988. 1615. Ant. 155. et ut videtur in fragm. 659. Ceterum conferri possunt ea exempla in quibus parenthesis loco per *γάρ* enuntiata inseruntur, ut in Phil. vs. 144, quem locum iam Meinekius laudavit, et in vss. Phil. 500. 603. 938. Tr. 479. 578. Ant. 328. 722. 1084. OR. 222. 334. 700. 919. 1078. 1486. 1504. OC. 712. 811. 891. 1000. 1540.

qui quidem ad vv. *ἀλλ' — οὐ γὰρ* qs. haec habet *ὥστε συγγνώμης εἰμὶ ἄξιος λέγων· οὐ γὰρ δύναμαι κρύπτειν.* Continetur enim verbis *οὐ γὰρ ἔστι τἀμφανῆ κρύπτειν* excusatio et eorum, quae Creon antea *ὠνείδισε* et exprobrationis, quae latet in verbis *σύ — νιν κρύψον,* in quibus inest: „tu ipse es istud dedecus, fac id occultes.“ Sic igitur totus locus intellegi debet: „Nonne hoc miserrimum est dedecus, quod tibi mihique atque toti genti exprobrare cogor? Sed — nam non iuvat reticere, quae negari nequeunt — pro tua parte id (illud dedecus) per deos immortales occultare velis atque in urbem aedesque patrias redire.“ Ceterum v. *νίν* pro *αὐτό* apud Sophoclem reperitur in Tr. vs. 145 (int. *τὸ νεάζον*) et in Ant. vs. 601 (int. *τὸ φάος*), siquidem cum G. Hermanno ex scholiastae interpretatione *ὃ τέτατο* pro *τέτατο* scribendum est, apud Aeschylum semel in Cho. vs. 542 (int. *τὸ ὄνειρον*); nam in Cho. vs. 788 (*ἔλακον, Ζεῦ σὺ δέ νιν φυλάσσοις*) ex Graecorum usu loquendi *νίν* pro *αὐτά* dictum esse statuendum est. Crebrius autem Euripides v. *νίν* loco v. *αὐτό* adhibuit, ut in vss. Hel. 503 (int. *τὸ πῦρ*); Iph. T. 1166. 1200. 1201. 1456 (int. *τὸ βρέτας*); Bacch. 525 (int. *τὸ βρέφος*); Cycl. 144. 145 (int. *τὸ πῶμα*). In Bacch. denique vs. 11 (*αἰνῶ δὲ Κάδμον, ἄβατον ὃς πέδον τόδε | τίθησι, θυγατρὸς σηκόν· ἀμπέλου δέ νιν πέριξ ἐγὼ ἐκάλυψα βοτρυώδει χλόῃ*) dubitare licet, utrum ad v. *σηκός* respiciat *νίν,* an ad v. *πέδον.*

Postremo nescio an supervacaneum sit monere, v. *νίν* in fine trimetri iambici ita ut vox monosyllaba antecedat extare in vss. Soph. Ai. 121. 652. 1302. OC. 54.

297. 638. 986. 1602. Ant. 432. Tr. 354 (decies), in Aesch. Suppl. vs. 999, in Eurip. Med. vss. 39. Her. f. 963. Bacch. 11. 294. Phoen. 41. Iph. T. 366. Cycl. 144. fr. Erechth. 17, 16 (octies); ita vero ut vox plurium syllabarum antecedat in vss. Soph. OR. 397. 1174. 1271. Ai. 771. Ant. 577. Tr. 43. 141. Phil. 445. 569. fr. 587, 8 (decies), in Aesch. Prom. 671. Suppl. 729. Cho. 172 (ter), in Euripidis denique Suppl. 758. Ion. 270. 367. Hel. 503. 821. 825. 1021. El. 271. 283. Her. f. 719. 1202. Bacch. 1072. 1081. 1124. 1298. Hec. 1136. Phoen. 1417. 1651. Or. 119. 849. Iph. T. 1296. Cycl. 113. 447. Antiop. fr. 1, 2. Melan. fr. 12, 3 (vicies quinquies).

Mendi, de quo agitur, alterum exemplum extat in Trachiniis, ubi in nuntii ad Deianiram sermone inde a vs. 359 ex admodum probabili Hartungi sententia Nauckius et Dindorfius sic scribunt:

ἀλλ' ἡνίκ' οὐκ ἔπειθε τὸν φυτοσπόρον
τὴν παῖδα δοῦναι κρύφιον ὡς ἔχοι λέχος,
ἔγκλημα μικρὸν αἰτίαν θ' ἑτοιμάσας
ἐπιστρατεύει πατρίδα [τὴν ταύτης, ἐν ᾗ
τὸν Εὔρυτον τῶνδ' εἶπε δεσπόζειν θρόνων,
κτείνει τ' ἄνακτα πατέρα] τῆςδε καὶ πόλιν
ἔπερσε· καὶ νῦν, ὡς ὁρᾷς, ἥκει δόμους
ὡς τούςδε πέμπων οὐκ ἀφροντίστως, γύναι,
οὐδ' ὥστε δούλην·

H. quidem l. cum neque quam mittat Hercules, dictum sit — nam *τὴν παῖδα*, quod v. interpretes supplent ad v. *πέμπων*, non magis intellegere licet, quam illo Oed. Col. loco *τὸ ὄνειδος* ad v. *κρύψον* — nec verba *οὐδ' ὥστε δούλην* habeant, quo referantur, atque cum di-

stinctio, quae h. l. inter ea fit, quae Iolae sunt, dico patriam oppidumque, et inter puellam ipsam, postulet, ut verbis *ἐπιστρατεύει πατρίδα τῆςδε καὶ πόλιν ἔπερσε* opponatur clarissime persona ipsa, et oppositio inter *τότε* et *νῦν* ab h. l. aliena sit, scribendum est:

καί νιν, ὡς ὁρᾷς, ἥκει δόμους
ὡν τούςδε πέμπων οὐκ ἀφροντίστως, γύναι,
οὐδ' ὥστε δούλην.

V. *νίν* apud Sophoclem saepius significare *αὐτήν* quae demonstrent exempla apud Ellendtium inspicias.

Ad defendendam vero scripturam *καὶ νῦν* Apitzius duo affert exempla, quibus obiectum *νίν* h. l. deesse posse probare studet. Ac prius quidem sumptum est ex Trach. vss. 571 qs., ubi Deianira haec Nessi verba refert:

παῖ γέροντος Οἰνέως
τοσόνδ' ὀνήσει τῶν ἐμῶν ἐὰν πίθῃ,
πορθμῶν, ὁθούνεχ' ὑστάτην ἔπεμψ' ἐγώ.

Sed, siquidem recte iudico, h. l. v. *ὑστάτην* non referendum est ad accusativum *σέ* cogitando supplendum, sed ad v. *πομπήν* vel *πέμψιν* vel *ὁδόν*[14]) ex v. *ἔπεμψ'* eliciendum, ad quam defendendam sententiam haec exempla affero: Ant. 1308 *τί μ' οὐκ ἀνταίαν ἔπαισέν τις ἀμφιθήκτῳ ξίφει;* El. 1415 *παῖσον, εἰ σθένεις, διπλῆν,* OC. 544 *παπαῖ, δευτέραν ἔπαισας, ἐπὶ νόσῳ νόσον;* sic enim interpungit Schneidewinus, qui ad El. vs. 1415 hos locos attulit, quibus ex G. Hermanni

[14]) Hoc igitur exemplum addendum fuerit eis, quae K. Schwarzius in progr. Vimar. anni 1863 (der Accusativ des Inhalts bei Sophokles) diligenter collegit.

ad Vig. p. 869 adnotatione addi potest Aesch. Ag. 1385 (1393 H.) *καὶ πεπτωκότι τρίτην ἐπενδίδωμι*. Praeterea conferas Soph. OCol. 151 *ἤδη γὰρ ἕρπω τὴν τελευταίαν, βίον κρύψων παρ' Ἅιδην*, quae non improbabiliter restituit Musgravius pro *τὸν τελευταῖον βίον*, et Ai. 738 *βραδεῖαν ἡμᾶς ἆρ' ὁ τήνδε τὴν ὁδὸν πέμπων ἔπεμψεν*. Quae explicatio, ni fallor, praeferenda est coniecturae ex apographis repetitae *ὑστάτην σ' ἔπεμψ' ἐγώ* eique, quam Nauckius protulit, qua scribendum esset *ἔπεμψά σε*[15]). Sed etiam, si explicatio mea stare nequeat aut coniectura anonymi inutilis sit, eo

---

[15]) Ut intellegas iniuria Nauckium v. *ἐγώ* offendi, conferas vss. Ai. 45. 99. 318. 790. 993. 1262. El. 323. 378. 1034. 1130. 1313. OR. 1143. OC. 85. 444. 1375. Ant. 390. 552. 886. 1099. Tr. 351. 397. 565. 1150. Phil. 413. 571. 990, in quibus exemplis omnibus v. *ἐγώ* et in fine trimetri et in fine sententiae conlocatum voce non sit premendum, ergo respondeat casuum formis *μού, μοί, μέ*. Atque his exemplis omnibus praeterea id commune est, quod v. *ἐγώ* ut nostro Trach. loco ipsi verbo finito continuatum et iunctum est. (Tantum in El. vs. 1034 verbum finitum *ἐχθαίρω* et v. *ἐγώ* littera *σ'* dirempta sunt; nam in Ai. vs. 993 *προσεῖδον ὀφθαλμοῖς*, quae excipit v. *ἐγώ*, pro una notione accipienda sunt.) Contra in eis exemplis, in quibus v. *ἐγώ*, quod voce premendum sit, ergo formis *ἐμοῦ, ἐμοί, ἐμέ* respondeat, in fine et trimetri et sententiae positum sit, ut in vss. Ai. 821. 1237. 1361. El. 533. 1222. OR. 1020. 1061. OC. 742. 902. Ant. 85. 319. 547. 1014. Tr. 1047. Phil. 114. 1059. 1243, ipsam vocem *ἐγώ* nusquam antecedit verbum finitum; nam *εἰμί*, quod antecedit in vss. Phil. 114. 1049. non est verbum finitum. — Praeterea v. *ἐγώ*, quod sine maiore accentu enuntiandum sit, post *τάλας, τάλαινα* in fine et trimetri et sententiae reperitur in vss. Ai. 341. El. 807. OC. 1338. 1438. 1442.

quod h. l. ad ὑστάτην ἔπεμψα obiectum σέ cogitando supplere licuerit, minime probatur, id illo Trach. loco ab hoc multis rationibus diverso fieri posse.

Alterum vero exemplum, cui confidit Apitzius, sunt vss. Tr. 709. 710 ἀλλὰ τὸν βάλοντ᾽ ἀποφθίσαι
χρήζων ἔθελγε,
ut apud Apitzium eduntur. Sed cum in Laurentiano ἔθελγε μ᾽ repertum sit, de hoc loco actum est.

Ceterum eam coniecturam, quam paullo ante protuli (καί νιν), quam necessariam esse mihi persuasum est, etsi eam iam esse occupatam ex Nevio adnotante, Brunckium (qui in editione quadrata a. 1786 tantum haec habet: „νίν legendum, perperam in libris καὶ νῦν. Ordo est καὶ ἥκει πέμπων αὐτὴν εἰς δόμους τούςδε.") aliis Vv. Dd. consentientibus καί νιν scribere cognovi, tamen cum nec a Nauckio nec a Dindorfio commemoratam viderem, in memoriam revocandam esse duxi.

His non absonum est subiungere disputatiunculam de Oedipi verbis, quae in sermone inter Oedipum atque chorum inde ab OC. vs. 299 a Laurentiano sic exhibentur:

ἦ καὶ δοκεῖτε τοῦ τυφλοῦ τιν᾽ ἐντροπὴν
ἢ φροντίδ᾽ ἕξειν ἀπόνως τ᾽ ἐλθεῖν πέλας,

e quibus aperte vitiosis verbis Porsonus ingeniose elicuit αὐτὸν ὥστ᾽ ἐλθεῖν πέλας. Dubitatur vero ab interpretibus, utrum in v. ἕξειν an in pronomine αὐτόν incidendum sit. Quodsi cum Elmsleio et Schneidewino post αὐτόν incisum ponimus, omnia bene fluunt, sed G. Hermannus, Dindorfius, Bergkius in v. ἕξειν incidendum esse censuerunt atque concedendum est, αὐτὸν ὥστ᾽ ἐλθεῖν πέλας (ut ipse ad me veniat) adeo adridere, ut vix credibile

sit, Sophoclem hoc non scripsisse. Atqui eis, qui v. *αὐτόν* cum sequentibus coniunxerunt, cum non dictum sit, quem putent senes curam habiturum esse atque *τιν' ἐντροπήν,* quae minimum curae significant, et *αὐτὸν ὥστ' ἐλθεῖν πέλας,* quae magna sui cura Oedipo videri debebat, inter se conciliari nequeant, necessario scribendum erat:

ἦ καὶ δοκεῖτε τοῦ τυφλοῦ νιν ἐντροπὴν
ἢ φροντίδ' ἕξειν, αὐτὸν ὥστ' ἐλθεῖν πέλας.

III.

Sed ut transeam ad aliud vitiorum genus, non desunt in Laurentiano exempla, in quibus cum aut vocabulum, quod sequitur, ab eisdem vel similibus litteris incipiat aut vocabulum, quod antecedit, in easdem litteras desinat, una vel plures litterae librariorum incuria interciderint, ut *σ'* post *ὡς* in El. vs. 1127 (a Brunckio additum), post *λουτροῖς* in El. vs. 1139 (ex Lb. et Palat. add.), *τίνες* post *ἄκοιτιν* in Tr. vs. 504 (a G. Hermanno add.), *ἂν* ante *ἐν* in El. vs. 1496 (ex apogr. add.), *ἐν* ante *ἐσθλᾷ* in El. vs. 1093 (a Brunckio ex apogr. add.), ante *ἑνί* in El. vs. 1088 (a Brunckio add.), *ἔτ'* ante *ἐν* in Tr. vs. 7 (ab Erfurdtio add.), *καὶ* ante *καινοπαθῆ* in Tr. vs. 1277 (add. a Bentleio), *ἔτ'* ante *εἴτ'* in Phil. vs. 23 (add. ab Elmsleio), *ἂν* ante *ἀνθρώπων* in Phil. vs. 306 (a scholiorum scriptore insertum). Quibus praemunitis placet eiusmodi vitium, quod ipse indagavi, exponere. Sed priusquam ad ipsum locum, quo hoc vitium latet, emendandum aggrediar, mihi pauca praemonenda sunt

de vocabuli τὶς, quam dicunt ellipsi. Nam etiam post G. Hermanni illam de ellipsi et pleonasmo in graeca lingua disputationem, quae ante hos sexaginta fere annos in mus. antiq. stud. 1, p. 95—235 publici iuris facta et in opuscula recepta et in adnotationibus ad Vig. inde a pag. 669 in brevius coarctata est, huius aetatis Vv. Dd. non pauci nimis saepe illius Franc. Sancti Salmanticensis, quo vix quisquam ellipsium amantior fuit, nisi forte Lambertus Bosius, vestigia persecuti sunt nec satis rationem habuerunt regulae, qua praecipitur, ut omnis ellipsis ita comparata sit, ut et auditores et lectores, quid supplendum sit, necessario statim perspiciant.

Ut ex his perversis ellipsibus unam, quae scilicet a G. Hermanno ipso nondum improbata tamen eis, qui ab illo de natura et indole ellipsis certiores facti erant, improbanda erat, eligam, si commentarios, quibus Sophoclis fabulae inlustrantur novissimis, pertractas, saepius doceris, v. τὶς intellegendum esse vel ad verbi, quod dicunt finitum, personam tertiam singularis numeri vel ad participi casus primum, alterum, tertium, quartum, quae si accuratius consideraveris exempla, ut opinor, tibi persuadebis, de ellipsi illis locis non esse cogitandum, sed aut male intellectos esse illos locos atque aut nihil aut, quae non est ellipsis, e praecedentibus vel sequentibus verbis esse aliquid supplendum, aut exempla, in quibus Vv. Dd. ellipsim v. τὶς reperire sibi visi sint, corrupta esse neque quicquam eis probari.

Ac primo quidem loco contemplemur exempla, in quibus ad tertiam verbi personam singularis numeri pronomen indefinitum τὶς subaudiant interpretes. Atque

G. Hermannus ipse in mus. ant. stud. 1, p. 106 (ad Vig. pp. 730 et 871) in Soph. OR. vss. 314. 315

ἄνδρα δ᾽ ὠφελεῖν, ἀφ᾽ ὧν
ἔχοι τε καὶ δύναιτο, κάλλιστος πόνων

v. ἄνδρα pendere opinatur ex v. ὠφελεῖν et in enuntiatione relativa ἀφ᾽ ὧν ἔχοι τε καὶ δύναιτο pronomen τὶς omissum esse, sed idem V. D. in Erfurdti Soph. trag. editione minore hoc ipse retractavit atque rectissime intellexit, v. ἄνδρα subiecti loco et ὠφελεῖν sine obiecto esse posita atque ἔχειν τε καὶ δύνασθαι dici subiectum primariae sententiae[16]). Paullo aliter expediendus est locus, qui extat in OR. vss. 612. 613.

φίλον γὰρ ἐσθλὸν ἐκβαλεῖν ἴσον λέγω
καὶ τὸν παρ᾽ αὑτῷ βίοτον, ὃν πλεῖστον φιλεῖ,

ubi non defuerunt, qui in verbis ὃν πλεῖστον φιλεῖ v. τὶς omissum esse contenderent. Sed contra eos iam Matthiae in gramm. § 295, 2 rectissime animadvertit, non v. τὶς desiderari, sed ex vv. τὸν παρ᾽ αὑτῷ βίοτον ad v. φιλεῖ subiectum (intellegas „is, cuius est vita") eliciendum esse. Accidit h. l. Vv. Dd., ut ex eo, quod Sophocli licuit dicere ὅν τις πλεῖστον φιλεῖ et ex eo, quod nos Sophoclis verba optime reddimus, si sententiam spectas, per „das man doch am meisten liebt", perverse concluserunt, ὃν πλεῖστον φιλεῖ dixisse poetam pro ὅν τις πλεῖστον φιλεῖ, quod non minus absonum est, quam si quis statueret, φιλεῖ h. l. significare φιλεῖς, quod quidem, cum Sophocli liceret φιλεῖς scribere, eodem iure contenderet. Atque eodem errore argumentandi in reliquis

[16]) Inutilis est Dindorfi coniectura, qua ut statim appareat, ὠφελεῖν non habere obiectum, ἀνδρὶ restituere vult.

quoque exemplis, quae deinceps pertractare placet, Vv. Dd. falsi sunt. Sic in Ai. vss. 1077 qs.

ἀλλ' ἄνδρα χρή, κἂν σῶμα γεννήσῃ μέγα,
δοκεῖν πεσεῖν ἂν κἂν ἀπὸ σμικροῦ κακοῦ.
δέος γὰρ ᾧ πρόςεστιν αἰσχύνη θ' ὁμοῦ,
σωτηρίαν ἔχοντα τόνδ' ἐπίστασο·
ὅπου δ' ὑβρίζειν δρᾶν θ', ἃ βούλεται, παρῇ,
ταύτην νόμιζε τὴν πόλιν χρόνῳ ποτὲ
ἐξ οὐρίων δραμοῦσαν ἐς βυθὸν πεσεῖν

Schneidewinus ad vv. *ἃ βούλεται* intellegit *πᾶς τις,* quod sane addere Sophocli liberum erat, sed frustra, nam *ὁ* (*ἀεὶ*) *ὑβρίζων, ὁ* (*ἀεὶ*) *δρῶν,* de quo et ipso Schneidewinus cogitavit, *βούλεσθαι* dicitur. — In OC. vss. 1225 qs. *μὴ φῦναι τὸν ἅπαντα νι-*
κᾷ λόγον· τὸ δ' ἐπεὶ φανῇ,
βῆναι κεῖθεν, ὅθενπερ ἥ-
κει, πολὺ δεύτερον ὡς τάχιστα,

cum Sophocles non dixerit *ἐπεὶ φανῇ τις,* is (er) *φανῆναι* dicitur, cui antea *τὸ μὴ φῦναι* chorus optaverat; et in eis, quae deinceps secuntur,

ὡς εὖτ' ἂν τὸ νέον παρῇ[17])
κούφας ἀφροσύνας φέρον
τίς πλάγχθη πολύμοχθος ἔ-
ξω, τίς οὐ καμάτων ἔνι;

siquidem haec recte se habent, quod vix ausim contendere, qui *παρίησιν* est is, de quo quaerit chorus *τίς πλάγχθη* qs.; sin autem in his verbis, quae corruptelae speciem prae se ferant, substantivum, quale *πόνος,*

---

[17]) Id est *παραμείψηται* ex Bonitzi interpretatione.

μόχθος, cum Dobraeo aliisque quaerendum est, qui *παρίησιν* est *ὁ φύς, ὁ φανείς.* — In Eur. fragm. Sthenob. 3 (in Plutarch. Mor. p. 622 *c*)

μουσικὸν δ' ἄρα
Ἔρως διδάσκει, κἂν ἄμουσος ᾖ τὸ πρίν.

ad v. *διδάσκει* eam vocem, de qua h. l. sermonem esse planum est, dico v. *ποιητήν,* iam Bernhardius in synt. p. 414 supplevit, quanquam minime dico, grammatice hanc vocem desiderari. Ergo non *τὶς,* sed is, qui fertur ab Amore *μουσικὸς διδάσκεσθαι,* is est, ut uno verbo dicam, *ὁ ποιητής, ἄμουσος τὸ πρίν* fuisse dicitur. — In Eur. Suppl. vss. 453 qs.

τί δεῖ . . . . . .
ἢ παρθενεύειν παῖδας ἐν δόμοις καλῶς
τερπνὰς τυράννοις ἡδονάς, ὅταν θέλῃ

et loco huic simillimo, qui legitur in Tyrt. fr. 7, 27 (Bergk)

νέοισι δὲ πάντ' ἐπέοικεν,
ὄφρ' ἐρατῆς ἥβης ἀγλαὸν ἄνθος ἔχῃ,

quod uno codice consentiente et probante G. Hermanno ad Vig. p. 934 pro *ὄφρ' ἀρετῆς,* quod codices plurimi exhibent et pro vulgata scriptura *ὄφρ' ἄρα τῆς* restituit Valckenarius in diatr. in Eur. p. 293, his dico locis nec ad *θέλῃ* nec ad *ἔχῃ* cum G. Hermanno l. d. *τὶς* supplendum est, sed ne dicam, de constructione, quam dicunt ad intellectum, esse cogitandum atque poetam pergere, quasi dixisset antea *τῇ τυραννίδι, τῇ νεότητι,* ex v. *τυράννοις* ad *θέλῃ* sumendum est *τύραννος* et *νέος* ad *ἔχῃ* ex v. *νέοισι,* nec opus est, quantum video, cum Th. Bergkio mutare *ὄφρ' ἄρα τις ἥβης ἀγλαὸν ἄνθος*

ἔχῃ. — In Soph. fragm. 691 (Dind. Oxon.), quod traditum est in Stob. flor. 118, 12

ὅστις δὲ θνητῶν θάνατον ὀῤῥωδεῖ λίαν,
μῶρος πέφυκε· τῇ τύχῃ μέλει τάδε.
ὅταν δ'[18]) ὁ καιρὸς τοῦ θανεῖν ἐλθὼν τύχῃ,
οὐδ' ἂν πρὸς αὐλὰς Ζηνὸς ἐκφύγοι μολών

dicitur οὐκ ἂν φυγεῖν non τὶς, sed ὁ ὀῤῥωδῶν, quare sine caussa Dindorfius ἐκφύγοις scribere mavult. — Commemoranda sunt denique exempla, in quibus ut in Ai. vss. 150 qs.

περὶ γὰρ σοῦ νῦν εὔπιστα λέγει
καὶ πᾶς ὁ κλύων χαίρει μᾶλλον
τοῖς σοῖς ἄχεσιν καθυβρίζων.
τῶν γὰρ μεγάλων ψυχῶν ἱεὶς
οὐκ ἂν ἁμάρτοι· κατὰ δ' ἄν τις ἐμοῦ
τοιαῦτα λέγων οὐκ ἂν πείθοι

et in Tr. vs. 1 qs.

λόγος μὲν ἐστ' ἀρχαῖος ἀνθρώπων φανείς,
ὡς οὐκ ἂν αἰῶν' ἐκμάθοι, βροτῶν πρὶν ἂν
θάνῃ τις, οὔτ' εἰ χρηστὸς οὔτ' εἴ τῳ κακός

aliisque locis, quos Matthiae in §. 295. p. 591 attulit, ad tertiam verbi personam singularis numeri v. τὶς subaudiendum esse Vv. Dd. olim contendebant, ubi tamen nunc ex libris manu scriptis optimis altera persona restituta est.

Restant ex poetis scaenicis, quantum scio, duo exempla, in quibus ad tertiam verbi personam singularis

---

[18]) ὅταν δ' scripsit Dindorfius cum Grotio pro ὅταν γάρ, quod traditum est, et ἐκφύγοι pro ἐκφύγῃ cum Halmio.

numeri pronomen *τὶς* intellegendum esse censent interpretes, Arist. Nub. vss. 987 qs.

σὺ δὲ τοὺς νῦν εὐθὺς ἐν ἱματίοις προδιδάσκεις ἐντετυλίχθαι,
ὥστε μ' ἀπάγχεσθ', ὅταν ὀρχεῖσθαι Παναθηναίοις δέον αὐτούς,
τὴν ἀσπίδα τῆς κωλῆς προέχων ἀμελῇ τῆς Τριτογενείης

et Aesch. Ag. vss. 67 qs. *ἔστι δ' ὅπῃ νῦν*
ἔστι· τελεῖται δ' ἐς τὸ πεπρωμένον
οὔθ' ὑποκλαίων οὔθ' ὑπολείβων
οὔτε δακρύων ἀπυρῶν ἱερῶν
ὀργὰς ἀτενεῖς παραθέλξει.

Sed illo loco Aristophaneo quod G. Hermannus dubitanter proposuerat, *ὅταν ἀμελῇ τις Τριτογενείης*, Meinekius suo iure in textum recepit, loco vero Aeschyleo, cur G. Hermannus ad ellipsim v. *τὶς* refugiat, non intellego, cum rectissime idem V. D. adnotet, de Agamemnone chorum cogitare. Is igitur Agamemnon, non *τὶς*, de quo propter illa *ἀπύρων ἱερῶν ὀργὰς ἀτενεῖς*, quae solum Agamemnonem spectent, sermo omnino esse nequire mihi videtur, a choro *οὐ παραθέλξειν* dicitur.

Venio nunc ad participia, ad quae v. *τὶς* subaudiendum esse interpretes opinantur, quorum primum extat in Soph. El. vss. 1322. 3.

σιγᾶν ἐπῄνεσ'· ὡς ἐπ' ἐξόδῳ κλύω
τῶν ἔνδοθεν χωροῦντος,

ubi v. *τινὸς* aut supplendum esse ad v. *χωροῦντος* aut latere in v. *χωροῦντος* Vv. Dd. contendunt; quorum qui latere v. *τινὸς* arbitrantur, quanquam quantum video et

ipsi verum non assecuti sunt, tamen minus ab eo aberrare mihi videntur. Nam v. *τινὸς* non latet in participio *χωροῦντος*, quod indolem, ut ita dicam, praedicativam minime amisit, sed in genetivo *τῶν ἔνδοθεν*. Qui enim domesticorum (*τῶν ἔνδοθεν*) est, unus ex domesticis est. Genetivus igitur partitivus, quem dicunt, omnium casuum vice fungitur. Pariter in Ant. vss. 1066 qs.

— *τῶν σῶν αὐτὸς ἐκ σπλάγχνων ἕνα*
νέκυν νεκρῶν ἀμοιβὸν ἀντιδοὺς ἔσει,
ἀνθ᾽ ὧν ἔχεις μὲν τῶν ἄνω βαλὼν κάτω
ψυχήν τ᾽ ἀτίμως ἐν τάφῳ κατῴκισας

τῶν ἄνω non caret v. *τινὰ*, sed accusativi vice fungitur et significat „unum ex superis"; Cf. Krueg. §. 47, 9, 1 et Soph. Ai. vss. 188 *εἰ δ᾽ ὑποβαλλόμενοι κλέπτουσι μύθους οἱ μεγάλοι βασιλῆς ἢ τᾶς ἀσώτου Σισυφιδᾶν γενεᾶς, μὴ — ἄρῃ* et El. vs. 199 *εἴτ᾽ οὖν θεὸς εἴτε βροτῶν ἦν ὁ ταῦτα πράσσων.* — Paullo aliter expedire placet, quod legitur in OR. vss. 628. 629

Oedip. *ἀρκτέον γ᾽ ὅμως.*
Creon. *οὔτοι κακῶς γ᾽ ἄρχοντος*

ubi coll. Krueg. gr. §. 47, 4, 3 intellegunt *τινός* ad v. *ἄρχοντος*; sed coll. hoc ipso loco potius *σοῦ* supplere debebant aut coll. Matth. §. 295, 1 *τοῦ ἄρχοντος*, si quidem h. l. aliquid supplendum est. Malim enim *κακῶς ἄρχοντος* pro una notione substantivi loco posita accipere, ut *θανών* saepius a Sophocle substantivi instar adhibitum est atque *δεδορκότος* in OR. vss. 454 qs. *τυφλὸς γὰρ ἐκ δεδορκότος καὶ πτωχὸς ἀντὶ πλουσίου ξένην ἔπι σκήπτρῳ προδεικνὺς γαῖαν ἐμπορεύσεται,* in quibus

verbis v. *δεδορκώς* in vim et notionem vocabuli substantivi eo facilius abiit, quod inter adiectiva substantivorum instar adhibita interpositum est. — In El. vss. 770. 1

δεινὸν τὸ τίκτειν ἐστίν· οὐδὲ γὰρ κακῶς
πάσχοντι μῖσος, ὧν τέκῃ, προςγίγνεται

falso subaudires *τινὶ* ad *πάσχοντι,* referendum enim est *πάσχοντι* ad *τῇ τεκούσῃ,* quod ex *τὸ τίκτειν* unus quisque elicit, atque cum poetae dicendum esset *πασχούσῃ,* si adesset *τῇ τεκούσῃ,* quoniam hoc abfuit, ut sententiam a singulis ad universa revocaret, quasi *τῷ τεκόντι* cogitandum esset, *πάσχοντι* scripsit. — Itemque explicandum est, quod legitur inde ab El. vs. 1025

Electr. *ὡς οὐχὶ συνδράσουσα νουθετεῖς τάδε.*
Chrys. *εἰκὸς γάρ, ἐγχειροῦντα καὶ πράσσειν κακῶς,*

ubi Chrysothemis quanquam primo loco Electram (*σέ*) respicit, non *τινά,* attamen ut significaret, non modo Electram, sed omnes, qui eadem molirentur, in miseriis esse decere, non *ἐγχειροῦσαν,* sed *ἐγχειροῦντα* dixit. — In OR. vss. 1295 qs.

θέαμα δ' εἰςόψει τάχα
τοιοῦτον, οἷον καὶ στυγοῦντ' ἐποικτίσαι,

v. *στυγοῦντα* neque pro *στυγοῦντά τινα* neque substantivi instar positum est, sed *σέ,* quod ex *εἰςόψει* unus quisque adsumit, infinitivi *ἐποικτίσαι* subiectum est. — Postremo in OR. vss. 483 qs.

δεινὰ μὲν οὖν δεινὰ ταράσσει σοφὸς οἰωνοθέτας
οὔτε δοκοῦντ' οὔτ' ἀποφάσκονθ',

quoniam *ἀποφάσκοντα* cum scholiasta per *ἄπιστα* interpretari non licet, cum Erfurdtio ad *οὔτε δοκοῦντ' οὔτ' ἀποφάσκονθ'* simplicissimum est *μέ* supplere, nisi forte,

quod probabilius est, cum Nauckio *δεινά με νοῦν* vel cum Bergkio *δεινά με νῦν* corrigendum est.

Restant, quantum scio, duo exempla, in quibus v. *τὶ* omissum sit ex Vv. Dd. sententia, quorum prius est in OR. vss. 515 qs.

εἰ γὰρ ἐν ταῖς ξυμφοραῖς
ταῖς νῦν νομίζει πρός γ' ἐμοῦ πεπονθέναι
λόγοισιν εἴτ' ἔργοισιν εἰς βλάβην φέρον,

alterum in Ant. vss. 685 qs.

ἐγὼ δ' ὅπως σὺ μὴ λέγεις ὀρθῶς τάδε
οὔτ' ἂν δυναίμην μήτ' ἐπισταίμην λέγειν.
γένοιτο μέντ' ἂν χἀτέρῳ καλῶς ἔχον.

Sed priore loco Dindorfius vestigia Laurentiani (*πρός τ' ἐμοῦ* a m. ant. littera *ε* in rasura. *προςτεμοῦ* vel *προςγεμοῦ* pr., litteris *στ* vel *σγ* uno ductu expressis) secutus *πρός τί μου* restituit; altero autem loco, quo Erfurdtius ex scholiastae adnotatione (*δυνατὸν δὲ καὶ ἑτέρως καλῶς μεταβουλεύσασθαι*) *χἀτέρως* scripsit, aperte corrupto nihil probatur.

His omnibus consideratis nemo opinor in Electrae Sophocleae versibus, ad quos transeo

696 *καὶ ταῦτα μὲν τοιαῦθ'· ὅταν δέ τις θεῶν*
βλάπτῃ, δύναιτ' ἂν οὐδ' ἂν ἰσχύων φυγεῖν,

quae sunt paedagogi de ficta Orestis morte verba, cum Schneidewino et Wolffio consentiet, pronomen *τὶς* in apodosi esse omissum vel *ἰσχύων* sine *τὶς* substantivi loco (ein Starker) dictum esse, sed exspectabit mecum tale quid: „non potuerit quisquam quamvis fortis effugere.“ Quodsi poeta exprimere voluit, *τὶς*, qui *ἰσχύων* esse diceretur, omittere ei non licitum erat. Circumspi-

ciendum igitur, num locus, de quo agimus, aliter explicari possit aut, si non potest, quid de eo statuendum sit. Atque fuerunt, qui arbitrarentur, ad vv. *δύναιτ᾽ ἂν — φυγεῖν* ex v. *βλάπτῃ* subiecti loco *ὁ βλαπτόμενος* esse sumendum. Sed quae Meinekius ad OC. vs. 1514 de eo verissime iudicavit, qui *δηλοῦσι* ex praegresso *δηλοῦσθαι* adsumendum existimat „mutabit, opinor, sententiam, si vernaculo sermone graeca sibi reddiderit", vereor ne in eos quoque, qui ex *βλάπτῃ* eliciant *ὁ βλαπτόμενος*, quadrent. Reddenda est enim paedagogi sententia, ut nunc editur, vernacule sic: Wann ein Gott einen Schaden zufügen will, dürfte er, selbst wenn er noch so stark wäre, nicht entkommen, quod quidem, cum sub illo „er" nemo *τὸν βλαπτόμενον*, sed *τὸν βλάπτοντα* intellegat, absurdum est. Quare coniectura huic loco succurrendum est. Atque, quod iam supra significavi, suspicor restituendum esse locum ita, ut istud praedicativum *ἰσχύων* habeat, quo sit referendum, quod habet, si legimus

καὶ ταῦτα μὲν τοιαῦθ᾽· ὅταν δέ τις θεῶν
βλάπτῃ, δύναιτ᾽ οὐδ᾽ ἄν τις ἰσχύων φυγεῖν.

Posteaquam *τὶς* ante *ἰσχύων* intercidit, alterum *ἄν*, ut versus compleretur additum est. — Ceterum etiam Meinekius in anal. Soph. p. 261 in hoc loco offendit atque cum coll. Ai. vs. 455 *εἰ δέ τις θεῶν βλάπτοι, φύγοι τἂν χὠ κακὸς τὸν κρείσσονα* ad v. *ἰσχύων* cum *δύναιτ᾽ ἂν* coniunctum articulum desideret atque cum in Laurentiano post vocis *δύναιτ᾽* litteras *αι* duae vel tres litterae erasae sint, *δύναι᾽ ἂν* scribendum proponit. Utrum praestet, alii diiudicent. Modo ne rasurae soli quicquam tribuant.

IV.

Neque desunt in Laurentiano scripturae depravationes, quarum origo a malo Sophoclis verborum intellectu petenda est. Sic v. *τῆςδε* in OC. vs. 786 (*ὡς — πόλις — σοὶ κακῶν ἄνατος τῆςδ' ἀπαλλαχθῇ χθονός*), quod restituit Scaliger, cum referrent ad *κακῶν*, in *τῶνδ'* corruperunt. V. *πολλά* in OC. vs. 1514 (*αἱ πολλὰ βρονταὶ διατελεῖς τὰ πόλλα τε στράψαντα χειρὸς τῆς ἀνικήτου βέλη*) cum male ad *βρονταὶ* accommodarent, in *πολλαί, τὰ δὲ*, quod scribendum esse Scaligerus intellexit in Tr. 292 (*ἄνασσα, νῦν σοι τέρψις ἐμφανὴς κυρεῖ, τῶν μὲν παρόντων, τὰ δὲ πεπυσμένῃ λόγῳ*) propter vicinum *τῶν μέν* in *τῶν δέ*, v. *ζῶντι*, quod recte correxit Toupius in OR. vs. 1453 (*ὃν μήτηρ τέ μοι πατήρ τ' ἐθέσθην ζῶντι κύριον τάφον*) cum prave referrent ad voces, quae antecedunt, *μήτηρ τε πατήρ τε*, in *ζῶντε* mutaverunt. In OR. denique vs. 1170 (*Θερ. οἴμοι, πρὸς αὐτῷ γ' εἰμὶ τῷ δεινῷ λέγειν. Οἰδ. κἄγωγ' ἀκούειν*) cum non perspicerent *εἰμὶ λέγειν* et (*εἰμὶ*) *ἀκούειν* inter se respondere, *ἀκούειν*, quod et apud Plutarchum et in scholio et in uno apographo servatum est, in *ἀκούων* corruperunt. Similiter illa constructio, qua infinitivi supini Latinorum in „u“ desinentis loco cum adiectivis coniunguntur, cuius cum plerique scriptores graeci tum Sophocles amantissimi fuerunt, uno alterove loco a Laurentiani scriptore non perspecta videtur esse. In Electrae enim fabulae versibus 1354—61

ὦ φίλτατον φῶς, ὦ μόνος σωτὴρ δόμων
Ἀγαμέμνονος, πῶς ἦλθες; ἦ σὺ κεῖνος εἶ,
ὃς τόνδε κἄμ' ἔσωσας ἐκ πολλῶν πόνων;
ὦ φίλταται μὲν χεῖρες, ἥδιστον δ' ἔχων
ποδῶν ὑπηρέτημα, πῶς οὕτω πάλαι
ξυνών μ' ἔληθες οὐδ' ἔφαινες — ἀλλά με
λόγοις ἀπώλλυς — ἔργ' ἔχων ἥδιστ' ἐμοί;

quibus Electra paedagogum posteaquam recognovit, adloquitur, contendit Dindorfius pergere Electram inde a v. *ἥδιστον,* quasi in praecedentibus non manus paedagogi, sed paedagogum ipsum esset adlocuta, profitetur Meinekius sibi nihil non placere. Interpretatur autem hic V. D. vss. 1357. 58 „o dilectissimxe manus, o tu, qui dulcissimum habes pedum ministerium.“ Sed in hac explicatione quae, ut statim cognoscemus, potissimum offendunt in graece scriptis verbis, *μέν* et *δέ* particulae, omisit et quod non scriptum est apud Sophoclem „tu“ de suo addidit Meinekius. Ceteri vero Vv. Dd., quibus non aeque persuasum est vss. 1357. 8 integros esse, haeserunt cum in notione v. *ἔχων,* pro quo *παρασχών* expectat G. Wolffius — id quod cum non paedagogus, sed Electra illud ministerium habeat, paedagogus praestiterit, verissime iudicavit — tum in eo, quod quamvis variare omnino Electram sermonem huic loco accommodatum sit, tamen male variatum est ab illa, si primum manus dilectissimas, deinde personam adloquitur, cuius pedes eo ministerio dulcissimo functi sunt, quod ut aliis verbis dicam, per *μέν* et *δέ* aequalia tantum membra ut *χεῖρες* et *ποδῶν ὑπηρέτημα* (cf. Phil. 530 *ὦ φίλτατον μὲν ἦμαρ ἥδιστος δ' ἀνήρ* qs. Eur.

Med. 1071 *ὦ φιλτάτη χείρ, φίλτατον δέ μοι στόμα*), non tam inaequalia, ut *φίλταται χεῖρες* et *ἥδιστον ὑπηρέτημα ἔχων* — is enim, qui ex Meineki explicatione *ἔχων ὑπηρέτημα* esse dicitur et ipse habet *τὰς χεῖρας* neque manibus opponi potest — componi possunt. Quae cum sentirent Vv. Dd., *φιλτάτας μὲν χεῖρας ἥδιστον δ' ἔχων* Bothius, *ἥδιστον δὲ νῷν* Emperius et Bergkius, *ἥδιστον δ' ἐμοί* vel *ἥδιστον δὲ σῶν* Schneidewinus proposuerunt. Sed cum ex ulla harum scripturarum corruptelam nostri loci ortam esse non ita credibile sit, aliquid aliud, quod plures probabilitatis numeros habeat, circumspiciendum et ex eo proficiscendum est, quod munus (*τὸ ὑπηρέτημα*) obiit paedagogus, Electra, in quam conlatum sit, habet et quod, cum sententia ipsa omisso v. *ἔχων* integra sit, in illis litteris *εχων* aliquid latere verisimile est, quod adderetur non necesse fuerit. Quod vero in verbis, de quibus agitur, accuratius definiri possit, est unum v. *ἥδιστον*. Num scripsit Sophocles

ὦ φίλταται μὲν χεῖρες ἥδιστον δ' ἔχειν
ποδῶν ὑπηρέτημα, πῶς οὕτω πάλαι
μ' ἔληθες qs.?

Id est, quod sane nec in nostra nec in latina lingua vertendo adaequare possumus „pedum ministerium dulcissimum habitu“, sc. ei, cui praestitum est, id est Electrae.

Offendit vero Nauckius et in eis, quae secuntur atque quod et *ἔφαινες*, ad quod *ξυνέντα σε* intellegendum esse Schneidewinus et Dindorfius vel quod pro *ἐφαίνου* dictum esse Wolffius nescio quo iure contenderunt, molestum et v. *ἀλλὰ* ineptum esset, deleto vs. 1359

(*ξυνών μ᾽ ἔληθες οὐδ᾽ ἔφαινες, ἀλλά με*) in vs. insequenti *λόγοις μ᾽ ἀπώλλυς* scribendum proposuit. Sed nescio, an difficultates, quas significavit Nauckius, alia interpretatione tolli possint. Coniungo enim *πῶς οὕτω πάλαι ξυνών μ᾽ ἔληθες οὐδ᾽ ἔφαινες ἔργ᾽ ἔχων ἥδιστ᾽ ἐμοί;* (nec aperuisti mihi dulcissimas res, quanquam aperire in tua potestate erat), quibus verbis verba *ἀλλά με λόγοις ἀπώλλυς*, quae illis *οὐδ᾽ ἔφαινες ἔργ᾽ ἥδιστ᾽ ἐμοί* opposita sunt, cum Electrae animo commoto paedagogi de Orestis morte commenta ante omnia obversentur, a poeta inserta sunt. Cuius interpositionis me non habere simile exemplum quanquam mihi fatendum est, tamen per se spectata mihi non ita absona videtur esse. Ceterum cum verbis *οὐδ᾽ ἔφαινες ἔργ᾽ ἔχων ἥδιστ᾽ ἐμοί*, in quibus *ἔργ᾽ ἥδιστ᾽ ἐμοί* et ad *ἔφαινες* et ad *ἔχων* pertineant, optime colligi possunt Ai. 55 *κἀδόκει μὲν ἔσθ᾽ ὅτε δισσοὺς Ἀτρείδας αὐτόχειρ κτείνειν ἔχων* et Ant. 635 *πάτερ, σός εἰμι, καὶ σύ μοι γνώμας ἔχων χρηστὰς ἀπορθοῖς, αἷς ἔγωγ᾽ ἐφέψομαι*[19]).

V.

Occasione oblata placet pauca verba facere de infinitivis, qui a Sophocle adiectivis, quo accuratius definiantur, adduntur, atque ex eis eos eligere atque in conspectum colligere, qui aeque ac nostro loco infinitivus *ἔχειν* vocabulo *ἥδιστον* appositus Latinorum supini in „u“ desinentis loco cum adiectivis coniunguntur.

---

[19]) Addenda sunt haec exempla eis quae in nota 7 collegi.

Sunt autem illi infinitivi aut ita comparati, ut cum iterent tantum adiectivi notionem, adiectivo ex quo pendeant ex abundanti additi sint, ut in Tr. vs. 694 *δέρκομαι φάτιν ἄφραστον, ἀξύμβλητον ἀνθρώπῳ μαθεῖν*[20]), in fragm. 109, 10 *καὶ γὰρ δυςειδὲς σῶμα καὶ δυςώνυμον γλώσσῃ σοφὸν τίθησιν εὔμορφον τ' ἰδεῖν*, in OR. vs. 1338 *τί δῆτ' ἐμοὶ — προςήγορον ἔτ' ἔστ' ἀκούειν ἡδονᾷ*, quibus addendus est Tr. vs. 854, si quidem G. Hermannus verum vidit, cum scriberet *οἷον ἀναρσίων οὔπω ἀγάκλαντον* (traditum est *ἀγάκλειτον*) *Ἡρακλέους ἐπέμολε πάθος οἰκτίσαι*, et addendus esset OC. vs. 285, si Wakefieldus verum vidisset, cum scriberet *μηδέ μου κάρα τὸ δυςπρόςοπτον εἰςορᾶν ἀτιμάσῃς* pro *εἰςορῶν*, ad quod defendendum conferas quae leguntur inde ab El. vs. 1275 *μή τί με πολύπονον ὧδ' ἰδὼν — μή μ' ἀποστερήσῃς τῶν σῶν προςώπων ἁδονὰν μεθέσθαι.*

Aut infinitivis notio universa, quae in adiectivis inest, accuratius definitur, ex quo numero est, quod conieci *ἥδιστον ἔχειν ποδῶν ὑπηρέτημα*, ut in OC. vs. 37 *ἔχεις γὰρ χῶρον οὐχ ἁγνὸν πατεῖν;* in OR. vs. 1204 *τανῦν δ' ἀκούειν τίς ἀθλιώτερος;* in OR. vs. 674 *αἱ δὲ τοιαῦται φύσεις αὑταῖς δικαίως εἰσὶν ἄλγισται φέρειν* (cf. Ant. vs. 64 *ἀρχόμεσθα καὶ ταῦτ' ἀκούειν κἄτι τῶνδ' ἀλγίονα*, int. *ἀκούειν*); in El. vs. 1015

---

[20]) Quod cum h. l. conferunt exemplum Phil. vs. 847 *ὡς πάντων ἐν νόσῳ εὐδρακὴς ὕπνος ἄυπνος λεύσσειν*, quanquam hic quoque infinitivus prorsus abundanter dictum est, tamen cum *εὐδρακὴς λεύσσειν* significet scharfsichtig im Sehn, non klar anzusehn, non in hunc numerum referri debet.

προνοίας οὐδὲν ἀνθρώποις ἔφυ κέρδος λαβεῖν ἄμεινον; in OR. vs. 429 *ἦ ταῦτα δῆτ' ἀνεκτὰ πρὸς τούτου κλύειν;* in Tr. vs. 673 *τοιοῦτον ἐκβέβηκεν, οἷον —, γυναῖκες, ὑμῖν θαῦμ' ἀνέλπιστον μαθεῖν;* in OC. vs. 1652 *δεινοῦ τινος φόβου φανέντος οὐδ' ἀνασχετοῦ βλέπειν;* in OC. vs. 1014 *αἱ δὲ συμφοραὶ αὐτοῦ πανώλεις, ἄξιαι δ' ἀμυναθεῖν;* in OC. v. 1252 (*λόγος*) *ἄξιος θαυμάσαι;* in OR. vs. 776 *πρίν μοι τύχη τοιάδ' ἐπέστη, θαυμάσαι μὲν ἀξία, σπουδῆς γε μέντοι τῆς ἐμῆς οὐκ ἀξία*[21]); in OR. vs. 792 *γένος δ' ἄτλητον ἀνθρώποισι δηλώσοιμ' ὁρᾶν*[22]); in OR. vs. 1335 *ὅτῳ γ' ὁρῶντι μηδὲν ἦν ἰδεῖν γλυκύ;* in OR. vs. 1297 *ὦ δεινὸν ἰδεῖν πάθος ἀνθρώποις;* in OC. vs. 141 (*Οἰδίπους*) *δεινὸς μὲν ὁρᾶν, δεινὸς δὲ κλύειν;* in OR. vs. 1267 *δεινὰ δ' ἦν τἀνθένδ' ὁρᾶν*[23]); in OC. vs. 329 *ὦ πάτερ δύσμοιρ' ὁρᾶν;* in Ai. vs. 1046 *ὁρῶ μαθεῖν γὰρ ἐγγὺς ὢν οὐ δυσπετής* (cf. OC. vs. 1526 *ἃ δ' ἐξάγιστα* [int. *κινεῖν λόγῳ*] *μηδὲ κινεῖται λόγῳ*)[24]); in OC.

---

[21]) El. vs. 797 *πολλῶν ἂν ἥξοις, ὦ ξέν', ἄξιος φιλεῖν,* cum procul dubio pro *φιλεῖν,* quod G. Wolffius infelititer in *φίλοιν* mutavit, cum manu recenti *τυχεῖν* scribendum sit, afferre non licet.

[22]) cf. notam 7.

[23]) In OR. vs. 1169 *Θερ. οἴμοι πρὸς αὐτῷ γ' εἰμὶ τῷ δεινῷ λέγειν. Οἰδ. κἄγωγ' ἀκούειν,* ut ex Oedipi responso apparet, *λέγειν* non arcte cum *δεινῷ*, sed cum *εἰμὶ πρὸς αὐτῷ τῷ δεινῷ* coniungendum est.

[24]) Huic loco quod ascribunt Schneidewinus et Dindorfius ex OC. vs. 624 *τἀκίνητ' ἔπη*, ex Ant. vs. 1060 *τἀκίνητα φράσαι,* videntur opinari, *φράσαι* pendere ex *τἀκίνητα,* sed pendet *τἀκίνητα* ex v. *φράσαι* atque v. *φράσαι* construendum est cum *ὄρσεις με.* Quare ex Ant. vs. 1060 illi Vv. Dd., ne lectores in errorem inducerent, *τἀκίνητα* tantum afferre debebant.

vs. 461 *ἐπάξιος μέν, Οἰδίπους κατοικτίσαι*; in OR. vs. 1375 *ἀλλ' ἡ τέκνων δῆτ' ὄψις ἦν ἐφίμερος — προςλεύσσειν ἐμοί*; in Ai. vs. 818 *Ἕκτορος μάλιστα μισηθέντος ἐχθίστου θ' ὁρᾶν*; in El. vs. 1189 *καὶ πῶς γένοιτ' ἂν τῶνδ' ἔτ' ἐχθίω βλέπειν*; in Ai. vs. 1010 *ὅτῳ πάρα μηδ' εὐτυχοῦντι μηδὲν ἥδιον γελᾶν*; in Ai. vs. 79 *οὔκουν γέλως ἥδιστος εἰς ἐχθροὺς γελᾶν*; in OR. vs. 562 *πῶς δῆτ' ἐμοὶ τυραννὶς ἡδίων ἔχειν ἀρχῆς ἀλύπου καὶ δυναστείας ἔφυ*; in Tr. vs. 290 *τοῦτο γὰρ πολλοῦ λόγου λεχθέντος ἥδιστον κλύειν*; in Phil. vs. 81 *ἀλλ' — ἡδὺ γάρ τοι κτῆμα τῆς νίκης λαβεῖν — τόλμα*[25]); in Ant. vs. 439 *ἀλλὰ πάντα ταῦτ' ἥσσω λαβεῖν ἐμοὶ πέφυκε τῆς ἐμῆς σωτηρίας*; in Phil. vs. 1100 *τοῦ λῴονος δαίμονος εἵλου τὸ κάκιον ἑλεῖν*[26]); in OR. vs. 1482 *χέρας, αἳ τοῦ φυτουργοῦ πατρὸς ὑμὶν ὧδ' ὁρᾶν τὰ πρόσθε λαμπρὰ προυξένησαν ὄμματα*[22]); in El. vs. 557 *οὐκ ἂν ἦσθα λυπηρὰ κλύειν*; OC. 1176 *τί σοι τοῦτ' ἐστὶ λυπηρὸν κλύειν*, quo tamen loco Elmsleius probabiliter *τοῦδ'* scripsit, qua scriptura probata construenda sunt verba *τί τοῦδε κλύειν σοί ἐστιν λυπηρόν*; in Ant. vs. 836 *καίτοι φθιμένῳ τοῖς ἰσοθέοις ἔγκληρα λαχεῖν μέγ' ἀκοῦσαι*, in quibus verbis cur Nauckius dubitet, num *μέγ' ἀκοῦσαι* pro *μέγα κλέος* vel *μέγα κῦδος* dici possit, caussam non video; in Phil. vs. 1167 *οἰκτρὰ γὰρ βόσκειν* (*κῆρ*); in OC. vs. 143 *οὐ πάνυ μοίρας εὐδαιμονίσαι πρώτης* (coll. Matth.

---

[25]) Aliter de h. l. iudicat Schneidewinus, sed cf. Lobeckium ad Ai. p. 72 not. 3 s. f.

[26]) Quanquam in his ipsum *ἑλεῖν* propter numeros suspectum est.

§. 535 *b*), qui tamen locus admodum suspectus est; in OC. vs. 1152 (*λόγος*) *σμικρὸς μὲν εἰπεῖν*; in OR. vs. 1234 *ὁ μὲν τάχιστος τῶν λόγων εἰπεῖν τε καὶ μαθεῖν*. Denique adiectivi loco participium substitutum videtur esse in Ant. vs. 205 *ἐκκεκήρυκται — ἐᾶν δ' ἄθαπτον καὶ πρὸς οἰωνῶν δέμας καὶ πρὸς κυνῶν ἐδεστὸν αἰκισθέντ' ἰδεῖν*.

Ceterum omnibus collectis exemplis apparet, Sophoclem in his locutionibus infinitivis activis et neutris tantum usum esse, quae in hoc genere dicendi fere sola ab Atticis adhiberi constat ex G. Herm. ad Vig. p. 738. Krueg. gr. §. 55, 3, 8.

Substantivorum eodem modo cum adiectivis copulatorum, qualia legi in Aesch. Pers. vs. 210 *ταῦτ' ἔμοιγε δείματ' ἔστ' ἰδεῖν, ὑμῖν δ' ἀκούειν* et in Ag. vs. 1164 *πέπληγμαι δ' ὑπαὶ δήγματι φοινίῳ δυςαλγεῖ τύχᾳ μινυρὰ θρεομένας θαύματ'* (quod coniecit Auratus pro *θραύματ'*) *ἐμοὶ κλύειν*, et in Pers. vs. 284 *ὦ πλεῖστον ἔχθος ὄνομα Σαλαμῖνος κλύειν*, in Eur. Ion. vs. 1141 *λαβὼν δ' ὑφάσμαθ' ἱερὰ θησαυρῶν πάρα κατεσκίαζε θαύματ' ἀνθρώποις ὁρᾶν* et in Rhes. vs. 34 *τὰ μὲν ἀγγέλλεις δείματ' ἀκούειν*, in Pind. Pyth. 1, 26 (50) *τέρας μὲν θαυμάσιον προςιδέσθαι, θαῦμα δὲ καὶ παριόντων ἀκοῦσαι*, apud Sophoclem, si bene attendi, nulla exempla extant. Nam in OC. vs. 529 *ὤμοι, θάνατος μὲν τάδ' ἀκούειν, ὦ ξεῖν'* qs. non *θάνατος* et *ἀκούειν* arcte coniungenda sunt, sed *τάδ' ἀκούειν* subiecti instar *θάνατος* esse dicitur et quae leguntur inde a Tr. vs. 853 *νόσος, ὢ πόποι, οἷον ἀναρσίων οὔπω ἀγακλειτὸν Ἡρακλέους ἀπέμολε πάθος οἰκτίσαι*, de eorum integritate a Vv. Dd. rectissime valde dubitatur.

VI.

Sed multo latius patuit aliud vitiorum genus, quo versus aut ab histrionibus inculcati aut a grammaticis lectoribusve ad explendam orationem sententiamque declarandam, ad caussam alicuius rei explicandam, comparandi denique caussa ascripti, deinde errore consiliove in ipsam orationem recepti sunt. Quod quanquam in singulis exemplis cum in aliis tum in locis, quos dicunt communes, saepius discerni nequit, utrum ab histrionibus an a grammaticis, librariis, lectoribus versus, quos spurios esse intellegimus, inserti sint, tamen subditos esse eos, cum aut lingua aut numeris offendant aut loco, quo inserti sunt, aut omnino ineptae sint atque sententiarum connexum turbent aut fabulae dispositioni repugnent, plerumque certissimis argumentis firmari potest. Sic ut versus verbi explicandi caussa fictos et in textum receptos afferam, delendos esse El. vs. 691 Lachmannus de mens. trag. p. 45, G. Hermannus in opp. 6, 1 p. 13, El. vss. 1289—92 Arndtius in progr. Neubrandenburg. a. 1854, Ahrensius in progr. Coburg. a. 1859 p. 8 demonstraverunt.

Ac saepius versus spurii non ex uno tantum interpretamento orti, sed ex pluribus eisque saepe non eiusdem generis consuti sunt. Cuiusmodi corruptelae ut exemplum afferam, in Sophoclis Antigona posteaquam Creon atrocitatem misit et ut Antigonam solveret, celeriter abiit, nuntius in scaenam prodit atque longiore de inconstantia fortunae humanae cum omnium tum Creontis oratione habita cum choro hunc sermonem nectit:

Χορ. τί δ' αὖ τόδ' ἄχθος βασιλέων ἥκεις φέρων;
Ἀγγ. τεθνᾶσιν· οἱ δὲ ζῶντες αἴτιοι θανεῖν.
Χορ. καὶ τίς φονεύει; τίς δ' ὁ κείμενος; λέγε.
Ἀγγ. Αἵμων ὄλωλεν· αὐτόχειρ δ' αἱμάσσεται.
Χορ. πότερα πατρῴας ἢ πρὸς οἰκείας χερός;
Ἀγγ. αὐτὸς πρὸς αὑτοῦ, πατρὶ μηνίσας φόνου.
Χορ. ὦ μάντι, τοὔπος ὡς ἄρ' ὀρθὸν ἤνυσας.
Ἀγγ. ὡς ὧδ' ἐχόντων τἄλλα βουλεύειν πάρα,

quam stichomythiam cum Eurydicam ex aedibus exeuntem conspicit, chorus his vss. claudit:

καὶ μὴν ὁρῶ τάλαιναν Εὐρυδίκην ὁμοῦ
δάμαρτα τὴν Κρέοντος· ἐκ δὲ δωμάτων
ἤτοι κλύουσα παιδὸς ἢ τύχῃ πάρα.

Quos vss. si cum aliis conferimus, in quibus et ipsis personae, quae primum in fabula in scaenam prodeunt, spectatoribus quae sint significantur aut personae omnino compellantur vel nominantur, discrimen apparet. Hic enim istud membrum, quod ad nomen Eurydicae appositionis, quam dicunt, loco adiectum est, *δάμαρτα τὴν Κρέοντος*, si scriptum est a Sophocle, cum nuntius, ad quem haec chori verba dicta sunt, quae sit Eurydica perbene sciat, aperte tantum spectatorum caussa additum est. Hoc tamen in nullo reliquorum exemplorum fit, ubi tales ut ita dicam appositiones ad nomen personae accedant. Immo Sophocles semper rem ita instituit, ut cur in quoque sermone appositio addita sit, ex eis, quae in scaena agantur, et ex personis, quae in ea versentur, appareat. Sic cuius filius sit Theseus, non spectatorum caussa, quanquam ei et ipsi hoc additamento certiores fiunt, sed Oedipi caussa, cui Theseum,

nisi a quo procreatus sit significetur, non satis notum esse rusticus suspicatur, accuratius explicatur in OC. vss. 68. 9.

Οἰδ. οὗτος δὲ τίς λόγῳ τε καὶ σθένει κρατεῖ;

Ξεν. Θησεὺς καλεῖται, τοῦ πρὶν Αἰγέως τόκος.

Aut cuius quis patris sit, honoris caussa additur, ut in Ant. vss. 155 qs.

ἀλλ᾽ ὅδε γὰρ δὴ βασιλεὺς χώρας
Κρέων ὁ Μενοικέως,
νεοχμοῖσι θεῶν ἐπὶ συντυχίαις
χωρεῖ qs. in OC. vss. 549. 550.

καὶ μὴν ἄναξ ὅδ᾽ ἡμῖν Αἰγέως γόνος
Θησεὺς κατ᾽ ὀμφὴν σὴν ἐφ᾽ ἁστάλη πάρα;

in Ai. vs. 331.

Τέκμησσα, δεινά, παῖ Τελεύταντος, λέγεις;

in Phil. vss. 3. 4.

ὦ κρατίστου πατρὸς Ἑλλήνων τραφεὶς
Ἀχιλλέως παῖ, Νεοπτόλεμε qs.;

vel appellatio ducis honoris caussa additur ut in Ai. vs. 1223. *καὶ μὴν ἰδὼν ἔσπευσα τὸν στρατηλάτην*
Ἀγαμέμνονα qs.

Aut illarum appositionum caussae singulares cognosci possunt. Ut in Tr. vss. 405 qs.

πρὸς τὴν κρατοῦσαν Δηιάνειραν, Οἰνέως
κόρην δάμαρτα θ᾽ Ἡρακλέους, εἰ μὴ κυρῶ
λεύσσων μάταια, δεσπότιν τε τὴν ἐμήν

hos omnes Deianirae titulos post nunti interrogationem *πρὸς τίν᾽ ἐννέπειν δοκεῖς* (vs. 402) Licham consulto afferre unusquisque perspicit. In Tr. vs. 1148 quod *τὴν τάλαιναν Ἀλκμήνην* moriturus Hercules *Διὸς μάτην*

ἄκοιτιν vocat, nemo mirabitur nec cur ille sic se exprimat ignorabit. In Ant. vs. 626 ad *ὅδε μὴν Αἵμων* chorus ideo apposuit *παίδων τῶν σῶν νέατον γέννημ'*, ut Creontem admoneret, Megareo mactato Haemonem unicam gentis esse stirpem. In El. vss. 324. 5.

ὡς δόμων ὁρῶ τὴν σὴν ὅμαιμον ἐκ πατρὸς
ταὐτοῦ φύσιν Χρυσόθεμιν ἔκ τε μητρός

premit chorus consanguinitatem Chrysothemidos et Electrae praesertim cum haec semper sese gerat, quasi non habeat sororem malorum sociam. In OR. vss. 69 qs.

παῖδα γὰρ Μενοικέως
Κρέοντ' ἐμαυτοῦ γαμβρὸν ἐς τὰ Πυθικὰ
ἔπεμψα Φοίβου δώματ'

Oedipus ut appareat, quantopere urbi consulat, disertis verbis profitetur, se uxoris fratrem Delphos misisse. In Ai. vss. 567 qs.

κείνῳ (Teucro) *τ' ἐμὴν ἀγγείλατ' ἐντολήν, ὅπως*
τὸν παῖδα τόνδε πρὸς δόμους ἐμοὺς ἄγων
Τελαμῶνι δείξῃ μητρί τ', Ἐριβοίᾳ λέγω,
ὥς σφιν γένηται γηροβοσκὸς εἰσαεί,

ne nautae prave intellegerent Hesionam, Teucri matrem, *Ἐριβοίᾳ λέγω,* quae ipsius erat mater, Aiax adiecit. Postremo in OR. vss. 639 qs.

ὅμαιμε, δεινά μ' Οἰδίπους ὁ σὸς πόσις
δρᾶσαι δικαιοῖ,

qui locus illis verbis, quae ex Antigona supra adlata sunt, unde profecti sumus, obiter consideranti simillimus videri potuerit, Creon quod Oedipus sibi maritus sororis est, in verbis, in quibus eum apud Iocastam accusat, non temere premit.

Nostro vero Antigonae loco, quo nuntius quae sit Eurydica bene notum habeat, cum caussam, cur poeta *δάμαρτα τὴν Κρέοντος* addiderit indagare nequeam — nam ne honoris quidem significationem in illa appellatione sentire possum — atque cum nisi me fallit aliud sit dicere *ὁρῶ τὴν δάμαρτα Κρέοντος Εὐρυδίκην,* aliud *ὁρῶ Εὐρυδίκην τὴν δάμαρτα Κρέοντος,* quarum locutionum prior tantum nostro loco apta esset, Eurydicam, quae quo vinculo cum Creonte vincta esset, Athenienses non ignorarunt, Sophoclem quae esset non accuratius explicasse suspicor, sed eam introduxisse ullo illo primo versu *καὶ μὴν ὁρῶ τάλαιναν Εὐρυδίκην ὁμοῦ,*
ut introduxit Iocastam in OR. vs. 631 hisce

καιρίαν δ' ὑμῖν ὁρῶ
τήνδ' ἐκ δόμων στείχουσαν Ἰοκάστην, μεθ' ἧς
τὸ νῦν παρεστὸς νεῖκος εὖ θέσθαι χρεών,

et Creontem in OC. vss. 722 qs. hisce

ἆσσον ἔρχεται
Κρέων ὅδ' ἡμῖν οὐκ ἄνευ πομπῶν, πάτερ,

quorum quidem neuter nec Creon nec Iocasta in illis fabulis antea spectati erant.

Quae mea suspicio etiam firmatur mihi consideranti quae secuntur verba *ἐκ δὲ δωμάτων*

ἤτοι κλύουσα παιδὸς ἢ τύχῃ πάρα,

quae a Sophocle profecta esse ut credam tantum abest, ut quandocunque legi, mihi risum moverint. Talia enim, qualia hic choro tribuuntur, excogitantur a ludi magistro, qui discipulis demonstrare studet, quo pacto ut hoc potissimum loco Eurydica, ad quam nullus nuntius missus esset, in scaenam prodiret, a Sophocle institutum sit,

non dicuntur a poeta, qui si chorum considerantem vel quaerentem fecisset, cur Eurydica ex aedibus exiret, tantum hoc ei tribuere potuit: „fortasse aliquid audivit de fili fortuna“ vel „audivitne fortasse aliquid de fili fortuna?“, sed istud „aut casu adest“ vel „an casu adest?“ certe silendum erat. Quibus perponderatis persuasum mihi est, h. l. ex explicatione (*τὴν Κρέοντος δάμαρτα*) et ex argumentatione (*ἤτοι κλύουσα παιδὸς ἢ τύχῃ ἐκ δωμάτων πάρα*) duos versus esse consarcinatos atque Sophoclis verbis inculcatos, poetam autem choro hunc unum versum tribuisse

καὶ μὴν ὁρῶ τάλαιναν Εὐρυδίκην ὁμοῦ

quo dicto Eurydica tantum in scaenam progressa est, ut cum choro conloqui possit.

Ceterum deletis vss., de quibus agitur, 1181. 2. extat inde a vs. 1172 usque ad vs. 1181 excl. stichomythia novem vss., quae, id quod apud Sophoclem saepius fieri observasse mihi videor, excipitur a vss. et ipsis novem (1183—92), quos continuos una persona, h. l. Eurydica, loquitur, qua re quod statui aliis de caussis de vss. 1181. 2 etiam firmatur.

VII.

Nunc vero pergendum est ad id spuriorum versuum genus, quo summopere Sophoclis tragoediae interpolatae sunt, dico versus, quibus continentur loci communes, qui ad comparandum vel aliis de caussis in margine ascripti postea in textum inrepserunt aut statim ab histrionibus, lectoribus, librariis, qui lacunas indagasse

sibi viderentur, inculcati sunt. Cuiusmodi versuum spuriorum, qui per se spectati plerumque integri, in Sophoclis oratione inepti sint, iam magnum numerum Vv. Dd. extirpaverunt ut El. vss. 1485. 6 a manu recentiore in margine scriptos Dindorfius, El. vss. 1007. 8 Ahrensius et Nauckius, Ant. vss. 506. 7 Iacobus, OC. vss. 954. 5 Nauckius et Blaydesius, alios alii. Talibus vero versibus spuriis post tot Vv. Dd. operas etiamnunc Sophoclis fabulas laborare novo exemplo evincere propositum est.

In Antigonae fabulae Creon Haemoni ut sibi obsequatur neve (pravae) feminae caussa a ratione desciscat inde a vs. 648 his persuadere studet:

μή νύν ποτ᾽, ὦ παῖ, τὰς φρένας ὑφ᾽ ἡδονῆς
γυναικὸς οὕνεκ᾽ ἐκβάλῃς εἰδὼς ὅτι
ψυχρὸν παραγκάλισμα τοῦτο γίγνεται,
γυνὴ κακὴ ξύνευνος ἐν δόμοις. τί γὰρ
γένοιτ᾽ ἂν ἕλκος μεῖζον ἢ φίλος κακός;
ἀλλὰ πτύσας ὡςεί τε δυςμενῆ μέθες
τὴν παῖδ᾽ ἐν Ἅιδου τήνδε νυμφεύειν τινί.

Ex quibus versibus qui delendi esse mihi videantur, priusquam significem, mihi pauca verba facienda sunt de exitu vs. 648, quem propter *φρένᾰς ὑφ᾽* contra artem metricam peccare unusquisque intellegit. Quod ut tolleretur mendum, inseruit Triclinius post v. *φρένας* eam litteram, ad quam in mendosis versibus emendandis et in coniecturis consuendis etiamnunc Vv. Dd. nimis saepe refugiunt, dico litteram *γ᾽*. Sed quod per se sine sensu est, vocula *γ᾽* non melius fit. Nempe *ὑφ᾽ ἡδονῆς*, quod significare „prae gaudio“ vss. Ai. 382. El. 871. 1153, quos locos affert Schneidewinus, docemur, a nostro loco

alienum et summae offensioni est. Hoc, quod rectissime monuit Nauckius, fugit plerosque eorum, qui integrum versum conarentur restituere, quorum G. Hermannus dubitat, an Sophocles *πρὸς ἡδονῆς* scripserit, quam sibi coniecturam nescio quo iure vindicavit Th. Bergkius atque in textum recepit, Apitzius ad Trach. p. 225 *τὰς φρένας σ' ὑφ' ἡδονῆς*, G. Dindorfius in thes. gr. l. vol. 4, p. 98 *D* *σὰς ὑφ' ἡδονῆς φρένας* proposuerunt. Sed quid sibi velit Hermanni *πρὸς ἡδονῆς*, se non intellegere Meinekius in symb. ad Ant. p. 23 profitetur nec ego hoc restituendum esse persuadere mihi possum. Nam quod G. Hermannus in curis secundis ad h. l. ascripsit, id quod M. Haupti benevolentia comperi, ex Ant. vs. 679 *πρὸς ἀνδρὸς ἐκπεσεῖν*, eo locutionem *ἐκβάλλειν τι πρὸς ἡδονῆς* non defendi sine dubio G. Hermannum ipsum non fugit. Dindorfi autem conamen cadit, quoniam notio „prae gaudio“ a nostro loco abhorret. Apitzi denique propositum praeterquam quod eadem difficultate laborat, non defendi debebat locutionibus homericis *τὸν δὲ σκότος ὄσσε κάλυψεν, καί μιν βάλον ὦμον* et similibus. Nam quamvis recte illa exempla homerica sese habeant, cum *καλύπτειν* et *ὄσσε* et *τινὰ*, *βάλλειν* et *ὦμον* et *τινὰ* dicere liceat, cum *ἐκβάλλειν* et *ἑαυτὸν* et *τὰς φρένας* non aeque liceat dicere, *μὴ τὰς φρένας σ' ὑφ' ἡδονῆς — ἐκβάλῃς* ferri nequit. F. W. Schmidtius autem nescio quo loco coniecit *τὰς ὑφ' ἡδονῆς φρένας* (deinen von Lust gefangenen Sinn) et Schneidewini assensum tulit. Sed hanc explicationem usu dicendi repugnare nec cum Creon ab Haemone postulare deberet, ut animum amore captum abiceret, non ut in eo perseveraret, cum sententiarum

connexu congruere iam Nauckius recte monuit. Quod vero Kayserus coll. Arist. Plut. vss. 307. 311 *φιληδίᾳ* pro *ὑφ' ἡδονῆς* scripsit, nec externa nec interna probabilitate commendatur. Meinckius denique l. d. correxit *μή νύν ποτ', ὦ παῖ, τὰς φρένας σύ γ' ἡδονῇ γυναικὸς οὕνεκ' ἐκβάλῃς,* sed me quidem iudice ne hoc quidem admodum probabile est nec et propter mire positum *σύ γ'* et propter *ἡδονῇ γυναικὸς οὕνεκα,* pro quo *ἡδονῇ γυναικός* expectamus, molestiis caret.

Tot Vv. Dd. coniecturas, quibus isti *ὑφ' ἡδονῆς* succurrebant, in irritum cecidisse cum perspiceret, *ὑφ' ἡδονῆς* litteris genuino versus exitu extincto versum perverse esse suppletum Nauckius suspicatus est. Quod eum verissime iudicasse, alia via proficiscentem simulque, quod litteris *ὑφ' ἡδονῆς* expulsum est, magna cum probabilitate restituentem me evicturum esse spero. Atque sententiam *τί γὰρ γένοιτ' ἂν ἕλκος μεῖζον ἢ φίλος κακός,* cum femina in numero pravorum amicorum hoc potissimum loco referri nequiret, huc omnino non quadrare iam Nauckius rectissime animadvertit. Sed admodum improbabiliter locum sanare studet, cum restituit: *τί γὰρ*

γένοιτ' ἂν ἕλκος μεῖζον; ἀλλ' ἀποπτύσας

τὴν παῖδ' ἐν Ἅιδου τήνδε νυμφεύειν μέθες.

Nec quod Meinekius coll. Tr. vs. 85 *κείνου βίον σώσαντος ἢ οἰχόμεσθ' ἅμα* l. d. p. 23 coniecit:

τί γὰρ

γένοιτ' ἂν ἕλκος μεῖζον ἢ οἰκεῖος κακός,

plures probabilitatis numeros habere mihi videtur. Mihi quidem haec tota sententia, cum a nostro loco aliena

sit, insiticia videtur esse atque delenda praesertim, cum etiam reliqua illorum duorum versuum, quibus continetur illa sententia, verba:

γυνὴ κακὴ ξύνευνος ἐν δόμοις

post ψυχρὸν παραγκάλισμα τοῦτο additamenti loco posita me quidem iudice molestissima sint. Praeterea enim quod in ipso additamento verba ἐν δόμοις post v. ξύνευνος molesta sunt atque Aesch. Cho. vs. 1005 τοιάδε μοι ξύνοικος ἐν δόμοισι μὴ γένοιτο defendi nequeunt nec quantum scio ab ullo V. D. defensa sunt, quisquis legit:

μή νύν ποτ', ὦ παῖ, τὰς φρένας [ὑφ' ἡδονῆς]
γυναικὸς οὕνεκ' ἐκβάλῃς εἰδὼς ὅτι
ψυχρὸν παραγκάλισμα τοῦτο γίγνεται

non expectat, istud τοῦτο in sequentibus accuratius definitum iri, sed respicere putat ad aliquid, quod antecessit, ad v. γυναικός, quae qualis ψυχρὸν παραγκάλισμα esset, poetae dicendum erat. Nunc vero deletis illis vss. 651. 2 suspectis quid isto ὑφ' ἡδομῆς, quod Nauckius suspicatus est in alius vocabuli extincti locum suffectum esse, expulsum sit luce clarius apparet. Intercidit post τὰς φρένας adiectivum malae notae (cf. Creontis verba in Ant. vs. 571 κακὰς ἐγὼ γυναῖκας υἱέσιν στυγῶ), quo Creon accuratius significaret, qualis feminae caussa Haemoni a ratione non esset desciscendum, quam feminam paullo post vv. ψυχρὸν παραγκάλισμα τοῦτο respicit. Quod adiectivum malae notae restituere conantibus circumspiciendum nobis est adiectivum quadrisemum, quod contineatur numeris ⏓ — ⏑ ⏒, quod initium capiat a littera consonanti, quod denique, si fieri potest, ita comparatum sit, ut appareat, cur facile intercidere potuerit.

Eiusmodi vox, cui v. *παράφρονος* vix quisquam praetulerit, est v. *κακόφρονος*, quod quanquam non confidenter, tamen cum ea probabilitate, quae in supplendo locum habeat, summa pro *ὑφ' ἡδονῆς* restituendum esse arbitror, ita ut totus locus sic scribendus sit:

μή νύν ποτ', ὦ παῖ, τὰς φρένας κακόφρονος
γυναικὸς οὕνεκ' ἐκβάλῃς εἰδὼς ὅτι
ψυχρὸν παραγκάλισμα τοῦτο γίγνεται.
ἀλλὰ πτύσας ὡςεί τε δυςμενῆ μέθες
τὴν παῖδ' ἐν Ἅιδου τήνδε νυμφεύειν τινί.

Acerbitatem, quae inest in verbis *φρένας κακόφρονος* arcte coniunctis, in ore Creontis aptissimam esse vix opus est monere.

V. vero *κακόφρων* a Sophocle usurpatum est in Ant. vss. 1103. 4 *ὅσον γ', ἄναξ, τάχιστα συντέμνουσι γὰρ θεῶν ποδώκεις τοὺς κακόφρονας βλάβαι.* Apud Aeschylum legitur in Ag. vs. 100 *κακόφρων μερίμνη,* in Euripidis Suppl. vs. 744 *κακόφρων λαός,* in Heracl. vs. 372 *κακόφρων ἄναξ,* in Or. vs. 824 *κακοφρόνων ἀνδρων,* in El. vs. 481 *κακόφρων κόρα,* in Iph. A. vs. 391 *κακόφρονες μνηστῆρες.*

Postremo ut intellegas versuum in fine mancorum perversa supplementa in Laurentiano non rara esse conferas Dindorfium ad vss. OR. 943. OC. 1474. 281. Ant. 1098, Nauckium ad vss. OC. 946. OR. 1528.

Atqui Fr. Ritschelius, qui cum ei quae de h. l. sentirem, in seminario philologico Bonnensi exponerem, in universum mecum consentiret, animadvertit non opus esse duos illos versus Creontis eicere sed in eis unum Sophocleum latere posse eiusmodi

τί γὰρ γένοιτ' ἂν μεῖζον ἕλκος ἐν δόμοις

atque monuit hoc vs. servato utrumque et Creontis et Haemonis sermonem quadraginta uno versibus contineri. Judicium ergo, quo decernatur, utrum duo illi versus sint delendi an unus ex eis compingendus, pendet ex eo, quod de responsione inter patris filique orationes statuendum est. Atque symmetriam, quae per totum tertium fabulae epeisodium a poeta servata est, iam alii animadverterunt. Dindorfius quidem in Soph. fabul. edit. Oxon. a. 1860 vol. 8 p. *IV haec habet: „Is (Heilandus in commentatione de stichomythia tragicorum Stendaliae edita a. 1855) recte animadvertit Creontis et Haemonis colloquium vss. 631—772 ita esse compositum, ut poetam symmetriae cuidam partium studuisse appareat. Nam quattuor Creontis versibus 631—634 totidem respondent Haemonis versus 635—638. Porro quattuor leguntur disticha chori et Creontis („et Haemonis" adiciendum erat) 681. 682. 724—729, post quae stichomythia sequitur versuum 730—757; tum rursus duo tetrasticha 758—761 et 762—765, duo disticha 766—769, tria monosticha 770—772, post quae octo Creontis versibus haec disceptatio concluditur." Quibus dictis idem V. D.: „In tanta igitur, inquit, harum partium aequalitate non est admodum verisimile, longiores Creontis et Haemonis sermones, qui post vs. 638 sequuntur, ita a poeta fuisse compositos, ut prior versibus quadraginta duobus, alter quadraginta et uno constaret." Nec aliter iudicat Meinekius l. d. p. 24, qui tantum addit, chori vss. 682. 3 post Creontis orationem insertos respondere vss. 724. 5 Haemonis sermonem ex-

cipientibus atque vs. 770 tanquam *μεσῳδόν* inter vss. 769 et 771 conlocatum esse.

Qui quidem Vv. Dd., quanquam Creontis et Haemonis sermones aequandos esse inter eos convenit, tamen in restituenda symmetria ipsa gravissime dissentiunt atque discedunt. Heilandus quidem l. d. Creontis sermonem uno versu ab interpolatore vetere auctum esse conicit in verbis inde a vs. 673 *αὕτη* (*ἡ ἀναρχία*) *πόλεις ὄλλυσιν, ἥδ' ἀναστάτους οἴκους τίθησιν, ἥδε σὺν μάχῃ* (*συμμάχου* Bothius) *δορὸς τροπὰς καταρρήγνυσιν* qs., quae sublatis verbis *ἥδ' ἀναστάτους οἴκους τίθησιν* sic corrigit *αὕτη πόλεις τ' ὄλλυσι κἀν μάχῃ δορὸς τροπὰς καταρρήγνυσιν.* Contra Dindorfius multo probabilius conici posse putat unum ex Haemonis verbis versum excidisse, velut ante vs. 699, ubi a Sophocle dici posset

οὐχ ἥδε πασῶν παρθένων ὑπερτέρα;
οὐχ ἥδε χρυσῆς ἀξία τιμῆς λαχεῖν;

Meinekius denique delendum esse censet vs. 680

κοὐκ ἂν γυναικῶν ἥσσονες καλοίμεθ' ἄν,

qui nil esset nisi iteratio vs. 678

κοὔτοι γυναικὸς οὐδαμῶς ἡσσητέα

atque iam Th. Bergkius illum versum fortasse delendum esse significaverat. — Illo igitur tempore, quo de integritate vss. 651. 2, quos ego paullo ante attentavi, non dubitabatur, quo Creontis oratio quadraginta duobus versibus continebatur, disceptatio erat, utrum uno versu Creontis sermo minuendus an Haemonis augendus esset. Nobis, quibus constet, Creontis sermoni unum tamen versum ex vss. 651. 2, fortasse duos 651. 2 esse demendos admodum infelix videbitur, cum Dindorfio in

Haemonis versibus ante vs. 699 unum inserere, quem desiderari Dindorfio demonstrandum erat. Nobis ante omnia id agitur, num praeter vss. 651. 2 aliquid extet in Creontis et Haemonis sermonibus, quod suspicionem moveat. Atque Heilandi coniecturam, quod illi loco aptissimum esset, ἀναρχίαν non civilem tantum, sed etiam domesticam memorari, parum probabilem esse Dindorfius rectissime iudicavit. Minus tamen improbabile videtur esse quod Meinekius proposuit, qui vs. 680 Sophocli abiudicavit, quem quidem versum post vs. 678 satis molestum esse concedendum est. Deleto igitur hoc uno versu continebatur Creontis sermo quadraginta uno versibus, cui responderet Haemonis oratio eisdem numeris coarctata. Sed cum nos intellexerimus, ex Creontis oratione vss. 651. 2 esse eximendos aut ex vss. 651. 2 unum compingendum, si quidem inter Creontis et Haemonis longiores sermones symmetria restituenda est, deleto vs. 680 et vss. 651. 2 in unum redactis aut servato vs. 680 et deletis vss. 651. 2[27]) Haemonis sermo nobis uno versu numerum excedit, quo cum de lacuna in Creontis verbis cur cogitemus non sit, minuendus est. Quaeritur autem, quis sit delendus. Quod ut assequamur, utile est Haemonis orationem accuratius examinare. Atque dicit Haemon haec: „Summum hominibus bonum est prudentia, quam in te non inesse etsi non contenderim, tamen etiam alii aliquid

[27]) Ne de tribus Creontis vss. 651. 652. 680 et de duobus Haemonis delendis cogitemus, qui quidem esset tertius modus aequalitatem restituendi, vetat quae paullo post demonstrabitur in Haemonis oratione symmetria manifesta.

boni in mentem venerit (vss. 683—88 excl.); ego quidem quid populus de Antigonae supplicio iudicet, quantopere eam praedicet, cum tu ignores, cognitum habeo (688—701); mihi filio tua patris res plurimi habetur (701—705), is ego tibi consulo, ne in sententia perseveres — qui enim modum excedunt, cadere solent —, sed sententiam mutes (705—719). Quod qui consulo quamvis adhuc adolescens sim, tamen etiam is, quid verum sit, aliquando videre potest (719—724)." Constat igitur hic Haemonis sermo, ut traditus est, si partes spectamus, ex 5 + 13 + 4 + 14 + 5 versibus. In his vero ut Haemonis orationem Creontis orationi numeris aequemus, si quis versus delendus sit circumspicimus, responsione interna, quae in Haemonis verbis aperta est, docemur, in parte 14 versuum (705—19) illum, qui iustum numerum excedat, latere. Is vero vix alius esse potest quam vs. 706

ὡς φῂς σύ, κοὐδὲν ἄλλο, τοῦτ᾽ ὀρθῶς ἔχειν,

qui cum aut dicendum esset *ὡς φῂς σὺ οὐδ᾽ ἄλλως τοῦτ᾽ ὀρθῶς ἔχειν* aut *ὃ φῂς σύ, κοὐδὲν ἄλλο, τοῦτ᾽ ὀρθῶς ἔχειν*, non sine offensione sit et expulsus non desideretur.

Quae si recte disputata sunt, loquitur Haemon quadraginta versus, quo eodem numero contineri Creontis sermonem deletis vss. 651. 2 aut ex versibus 651. 2 uno confecto et deleto vs. 680 supra expositum est. Qua duplici nobis data optione quid praeferendum sit ut dignoscamus, etiam Creontis sermonem examinare placet, num in eo et ipso singulae inter se pares partes agnosci debeant. Sed de hac Creontis sermonis

compositione difficilius est iudicatu, praesertim cum de vss. 668. 9. 70. 1 utrum post vs. 667 servandi an cum Seidlero Erfurdtio G. Hermanno aliis post vs. 662 conlocandi sint, a Vv. Dd. vehementer dubitetur. De qua illorum versuum traiectione quid statuendum sit, priusquam in Creontis sermone symmetriam investigare aggredimur, quantum fieri potest, nobis ad liquidum perducendum est. Atque qui vss. 668—71 post vs. 662 posuerunt, hoc fecerunt, quod vv. *τοῦτον τὸν ἄνδρα* ad haec *ὃν πόλις στήσειε* non possent referri et quod inter vss. 663. 4 et vs. 661 nulla oppositio obtineret. Quae falso esse iudicata eis, quae Matthiae auctore alii ad veterem ordinem tuendum attulerunt, quae Neuius breviter comprehendit (v. *δὲ* in vs. 663 non introducere contrariam prioribus sententiam, sed vss. 661. 2 nonnisi ad diluendum id, quod pro Antigona dici posset, valere, veram caussam, cur Antigona supplicio afficienda esset, contineri vss. 663 qs., ad universum relatis eis, quae proprie ad Antigonam pertinerent, porro vss. 668—71 cum vs. 672 sic cohaerere: „qui regi publice constituto parendum decrevit, laudabilis erit vel imperio praefectus vel alius imperio subditus“), his dico illa falso esse iudicata mihi non persuadetur. Credere enim non possum, Sophoclem si *ὅστις δέ* in vs. 663 non referendum erat ex eius sententia ad *ὅστις* in vs. 661, rem non aliter instituisse eumque in vs. 668 *τοῦτον τὸν ἄνδρα* dixisse pro „virum, qui hanc rationem sequeretur (int. ut regi in omnibus pareret).“ Illa igitur traiectione Seidleri probata Creontis sermo in hasce partes distribui potest: „Liberos parentibus obedire oportet, quod

si non faciunt, non tam decori quam oneri sunt (639—648 excl.). Tu noli puellae addictus esse. Illa cum obedientiam reliquerit, supplicium subibit. Familiares potissimum unicuique coercendi sunt, qui rempublicam bene gerere velit. Atque qui hoc consequitur, et ipse bene reget et bene regetur atque in acie locum obtinebit (648—67). Quisquis vero leges violat imperataque detrectat, ei laudem non tribuo. Urbis principi obtemperandum est (667—72). *Ἀναρχία* vero perdit urbes, servat *πειθαρχία* (672—77). Agendum igitur id unicuique est, ut imperata sustentet neve femina inferior discedat (677—681).“ In his deletis vss. 651. 2 singulae partes continentur 9 + 17 (9 + 4 + 4) + 5 + 5 + 4 vss., deleto vero vs. 680 et ex vss. 651. 2 uno confecto 9 + 18 (10 + 4 + 4) + 5 + 5 + 3 vss. Sed cum in neutra harum compositionum poetae consilium et artem reperire liceat, ex Creontis sermonis compositione, qui versus delendi sint, diiudicari non potest. Sed ne res in suspenso maneat, singulos modos, quibus inter Creontis et Haemonis sermones symmetria restitui possit, omissis lacunis, quas cur in sermonibus aut Creontis aut Haemonis statueremus nos non habere intelleximus, denuo enumeremus atque contemplemur. Si Haemonis versus omnes quadraginta unum servamus, in Creontis oratione ex vss. 651. 2 unus nobis conficiendus est. Sed ut hoc faciamus, vetant, ut supra cognovimus, et manifesta in sermone Haemonis membrorum aequabilitas et molestia, quae movetur vs. 680. Reliquum ergo est, cum admodum improbabile sit, ut in nota 27 monitum est, in Creontis

oratione vss. 651. 2. 680 delere et Haemonis orationi nescio quos duos demere, ut aut vss. 651. 2 servato vs. 680 deleamus aut vs. 680 deleto vss. 651. 2 in unum compingamus. Atqui posteaquam intelleximus Meinekium in vs. 680 non iniuria offendisse, non dubitamus hunc vs. delere et vss. 651. 2 in unum contrahere, ita ut uterque sermo quadraginta versibus contineatur.

Improbata vero Seidleri traiectione, quae tamen mihi necessaria videtur esse et vs. 680 deleto et vss. 651. 2 in unum contractis Creontis sermo continetur 9 + 14 + 14 + 3 versibus.

Ceterum quaestionem de his vss. 651. 2 responsione, quam Vv. Dd. in toto epeisodio indagasse sibi videntur, valde implicatam fieri omninoque iudicium de responsione valde lubricum esse libenter profiteor.

VITA.

Natus sum Hildburghusae Thuringensium a. d. XIV. Kal. Dec. a. h. s. XXXXII. patre Rudolfo matre Amalia e gente Hohnbaum, quorum patrem dilectissimum non iam inter vivos esse, sed quartum decimum annum agenti mihi praematura morte ereptum gravissimo mihi semper dolori fuit. Fidei addictus sum evangelicae. Novem annos natus gymnasium patriae urbis adii atque per novem annos frequentavi. Vere anni h. s. LXI. in academiam Bonnensem me contuli philologicis studiis operam daturus. Ibique scholas audivi Diezi, O. Jahni. F. Ritscheli, Simrocki, Ueberwegi per quinquies sex menses. Per duo semestria particeps fui L. Schmidti societatis philologicae, per anni spatium sodalis ordinarius F. Ritscheli et O. Jahni seminari philologici, per ter sex menses O. Jahni seminari archaeologici. Per bis sex menses Ritscheli liberalitate mihi licitum erat exercitationibus eius epigraphicis interesse. Exeunte anno h. s. LXIII. Berolinum migravi ibique usque ad hunc diem scholas audivi Droyseni, Gerhardi, M. Haupti, Mommseni, Trendelenburgi huiusque et Gerhardi benevolentia mihi contigit, ut exercitationibus illius philosophis per sex menses, huius archaeologicis per bis sex menses interessem. Quibus viris omnibus optime de me meritis gratias, quas debeo, ago quam maximas.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I. Vergili ecl. VIII, vss. 6—14 ad Polionem dedicatio medio carmini moleste interposita in initium eclogae transponenda videtur esse.

II. Livium in I, 25, 7 „forte is integer fuit et ut universis solus nequaquam par, sic adversus singulos ferox“ scripsisse puto.

III. Livius in I, 40, 4 „sed et iniuriae dolor in Tarquinium ipsum magis quam in Servium eos stimulabat et quod gravior ultor caedis, si superesset, rex futurus erat quam privatus; tum Servio occiso quemcunque alium generum delegisset, eundem regni heredem facturus videbatur — ob haec ipsi regi insidiae parantur“ scripsit.

IV. De gladiatore Borghesio, qui dicitur, ei verissime iudicant, qui dicunt, eum non esse e compositione plurium.

V. Artis criticae exercitatione philosophiae studi neglectionem aliqua ex parte compensari verissime contendunt.

VI. Corporibus exercitandis firmandisque parum adhuc curae plerisque in scholis impenditur.

VII. Confessionum non discrimina, sed ea, de quibus inter eas convenit, urguenda sunt.


LIBRARY OF CONGRES
0 003 052 053 1